

Z 6323

131 Klapka 2

Zapuscian 1835.

III

L1

Z 89-2




BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

4527

14.









Ex Libris Francisci de la Roche

DE BELLO
TARTARICO
Historia.
In quâ,

Quo pacto Tartari
hac nostra cœtate
Sic cum Imperium
imperierint, ac ferè
totum occuparint,
narratur; forumque
meros breuerter
describuntur.
Cum Figuris Alneis
Auctr. R.P. Martino
Martino S.I. etc.



AMSTELODAMI,
Apud Iohannem Janssonium
Juniorem. 1655.

9.687

ОДИНЪ
ОДИНЪ
одинъ

~~Catalogo librorum~~
~~Iannis de Wille~~
~~VERA~~ ~~anno~~
~~1713~~

ОДИНЪ
ОДИНЪ
одинъ

МАГИСТЕРИУМ
XVII - 4527 - A

ОДИНЪ
ОДИНЪ
одинъ

AUGUSTISSIMO
Potentissimoque
J O A N N I
CASIMIRO,
POLONIÆ AC SUECIÆ
R E G I.

GO GITANTIMI-
hi tot tantaque
Augustæ Familiæ
MAJESTATIS VE-
STRÆ in Societatem no-
stram, maximeque Poloni-
cam, collata beneficia, ani-
mumque semper benevo-
lentissimum, nemo alias
præter ipsam occurrit, qui
hancce meam de Bello
Tartarico scriptiunculam
potiori jure sibi vendicare
possit. MAJESTATI VE-
STRÆ cum Cosaccis ac

A 2 Tar-

Tartaris Europæ vicinioribus bellum est, non unâ jam nunc de iis reportatâ victoriâ inclytum. Producō alios, non multū & moribus & corporis atque animi habitu abhorrentes, uti nec finibus admodum dissitos ab iis, qui ad Septemtrioneim magis vergunt (ut mihi ex multis fit verosimile;) tametsi ingeniti terrarum spatio distent, quâ ad Austrum spectant, moribusque ac totâ regimini formâ Borealibus illis nonnihil cultiores; ut plusculum mitioris ingenii ex cælo ac solo mitiore hausisse videantur: Illi à MAJESTATE VESTRA victi; hi apud Sinas victores sunt. Sisto hos, ut & ip-

fos

sōs vincat vīctores, non ar-
 mis, sed beneficiis ac mu-
 neribus; quibus devincti
 primūm, mox etiam vīcti
 illorum animi, suave ju-
 gum Fidei ac Religionis
 Christianæ, aliquando tan-
 dem è Cimmeriis illis te-
 nebris eruti, agnoscant at-
 que amplexentur. Hoc
M A J E S T A T I S V E S T R A E
 auxilio, hac ope Expeditio
 Sacra, quam ex Sinâ in
 Tartariam instituere cogi-
 tamus, promovebitur sua-
 viter; & noīmini ejus tantò
 major accrescet gloria,
 quantò nobilius est anima-
 rum salutem procurare,
 quàm Regna & Imperia
 subjugare. Regium enim
 hoc iter est, hac itur ad
 Cælum viâ, beneficentiâ in

miseros mortales , ac de omnibus optimè merendi,
 quoad facultas suppetit, promptissimâ voluntate.
Deus Opt. Max. M a i e s t a t e m V e s t r a m
 cum totâ Augustâ Familiâ suâ quàm diutissimè Ecclesiæ & Regno incolunmem servet. Ita demississimis votis cum totâ Societate nostrâ precatur

MAIESTATI VESTRÆ

Æternum devotus

Martinus Martinus.

L E -

LECTORI SALUTEM.

SOlent, Candide Le-
ctor, qui peregrinis
lustratis regionibus
revertuntur in patriam, con-
veniri magno studio, & quæ-
stionibus penè obrui à variis
circumstantibus, eventus iti-
nerum, ignotarum terrarum
situm & naturam, gentium
mores, ceteraque id genus di-
scere avidè cupientibus. Id
ipsum ego, ultimo ex Oriente
delatus in Europam, quotidie
experior, dum variis in urbi-
bus, per quas transeo, variè
omnis generis homines ac-
currunt, quisq; Sinensis Re-
gni præsens sit status, cupidè
omnes exquirunt. Sed cum
illud probè intelligam, res

A 4 tam

nam variis tumultuariis sermone exponere, per quam difficile; solis committere aribus, ad memoriam posterorum parum utile esse; advertamque ad hæc, ut maximè velim omnibus, paucis tamen tanto è numero mei me copiam facere posse: constitui, usitato exemplo, quæ de Imperio illo Incolisque, cùm ex Sinensium Annalium diligentí volutatione, tum ex convictru & conversatione cum variis, decem per annos ibidem commoratus asséqui potui, ea vulgata typis omnibus facere communia, & quod sermone non possum, scriptis unumquemque meis convenire.

Eo consilio, cùm anno M.DC.LI. Superiorum meorum

AD LECTOREM. 9

orum designatione destinatus
Romam essem, adolescentis
apud Sinas Religionis nego-
tiis tractandis Procurator,
collecta jam pridem à me
hunc in usum Sinensis Histo-
riæ pervetusta exemplaria,
deductosque incredibili dilin-
gentia ab ipso Noëmi diluvio
Fastos, mecum comportavi.
Tabulas etiam Geographicas,
& Imperii universi, & Pro-
vinciarum singularum, quas
adhibitis Sinicis mappis, in-
spectaque variis in peregrina-
tionibus regione prope to-
ta, qua potui accurate delineavi. Ita enim existima-
bam Europæis facturum me
longe gratius, si, non quæ tel-
lus ista fert, aut pretio aut
novitate exteris cara, sed
quantum est, vastissimum il-

10 P RÆFAT I O

Iud Regnum spectandum offerrem, Provinciarum extensionem limitesque, urbium situs ac intervalla, montes, silvas, lacus, flumina; verbo, totam Sinam sub unum quasi aspectum ponerem: tum vero, à quibus, quo ve tempore hæc Regna incoli cœpta, quibus subjecta Imperatoribus, agitata bellis, legibus sacrisque constituta sint, repetito altius exordio, ex accuratissimis, summaque fide conscriptis Gentis illius monumentis, edocerem. Liberanda etiam mihi occurrebat R. P. Nicolai Trigautii, viri plane Apostolici, obligata fides; quam ille (cum anno hujus saeculi decimo quinto ex Oriente in Europam redux, Romæ notum jam omnibus de Sinis librum

AD LECTOREM. II

brum vulgabat) Lectori de-
derat, atque Annales Sinen-
ses , à quatuor fere annorum
millibus , per continuos sæcu-
lorum gradus deductos , redi-
gendas à se in compendium,
evulgandasque addixerat.

Hos ergo promissos An-
nales ego primum Philippinis
in Insulis, dum navigii oppor-
tunitatem per aliquot menses
exspecto, ordinare aggressus
sum. Deinde ab Hollandis
captus , delatus in Iavam
(novam Bataviam dicunt)
nactus ibidem Hollandicam
classem , solvi cum eâ in Eu-
ropam , die prima mensis Fe-
bruarii anno M. DC. LIII. &
superato Bonæ Spei Promon-
torio, circumnavigatisque In-
sulis Britannicis , qua parte
Americam respiciunt , inter

Scoriam demum & Islandiam Berghas Norvegiae appuli die XXXI. Augusti ejusdem anni. Inde mox Hamburgum, atque in Hollandiam, uti & Antverpiam Bruxellamque deveni: unde & hæc in lucem dedi.

Ceterum in superiore illa septem mensium continua navigatione (tantum enim semel ad Africum Bonæ Spei Promontorium per dies vinti fecimus exscensionem) inquieto illo usus otio, circumstrepente non undarum tantum, sed vectorum tumultu, utut loci temporis que ratio ferebat, prædictos Annales ad calcem propè perduxii. Ad hæc, nonum Orientis Atlantem, distinctas Provinciarum Tabulas Geographicas,

quas

quas hactenus non vidit Europa, diligentius recognovi, adiecique brevem Regionum Urbiumque illustrationem; ut ex illarum amplitudine frequentiaque illud Christianus Lector colligat, quantus se explicet hic Operariorum Apostolicorum sudoribus, & divinæ gloriæ amplificandæ campus. De quo illud Servatoris verissimè affirmare possum, Messis multa, operarii Matth. autem pauci.

Verum, dum utrumque illud Volumen in ea quam ita assidue profectiones facile turbant, quiete, denuo inspicio, revocoque ad limam; & Sinensem Chronologiam cum ea quam sacræ Litteræ nobis tradunt, compono (ut mul-



torum aviditati aliquid quo
se interim pascat, offeram)
breviorem hanc Tartarici
Belli narrationem præmitto,
quæ veluti facem præferat
secuturæ Historiæ, funestam
illam quidem, luctuosamque
Sinis; ex qua ipsa tamen,
ille qui adversa lœtis tempe-
rat, fortiterque & suaviter
omnia disponit, novum Fidei
nostræ splendorem accedit;
ut veluti ventis flamma, ita
hoc belliturbine agitata Re-
ligio, majorem clarioremque
diffundat lucem; quæ jam
non Sinas tantum, sed ipsos
Tartaros, in umbra mortis
sedentes irradiet. Iam tum
enim cum è Sinis ego disce-
derem, ex iis non pauci, in-
terque hos è Regia familia
vir

AD LECTOREM. 15
vir Princeps, collustrati ab
eo qui illuminat omnem ^{Ioan. 3.}
hominem venientem in
hunc mundum, discussa
idololatriæ caligine, è tene-
bris vere Tartareis emersere,
& salutaribus undis abluti,
illum agnovere, qui lucis
æternæ candor est, C H R I-
S T V M I E S V M. Faciat
Pater lumen, qui Solem
suum his Populis oriri fecit,
ut illa novæ lucis felix aurora
procedat, & crescat usque ad
perfectum diem.

Te porro, mi Lector, illud
rogo, ut si quando incultam
sermonis asperitatem & bar-
bariem in hoc Opusculo de-
prehenderis, Barbaricum
Bellum te legere memineris;
& ab eo quidem scriptum,
qui

qui omnem Latini sermonis elegantiam (si quæ tamen ea umquam fuit) peregrinæ linguae addiscendæ primum studio, usu deinde, penitus oblitarit; cuique faciendis magis, quam scribendis pro divina gloria arduis rebus per annos plures occupato, rudis in cultique styli virtutum facile, uti spero, condonabis.

Ceterum cum in toto pas-
sim Historiæ sequentis contex-
tu frequens incidat mentio
præcipuarum Imperii Sini-
ci Provinciarum & Ur-
bium, quæ à variis exer-
citibus expugnatæ, propu-
gnatæ, occupatæ, aut vasta-
tæ sunt, à Septentrione ad
Austrum, & ab Occasu ad
Ortum,

Ortum , aut contra ; ne forte in terris & nominibus apud Europaeos parum notis , Lector benevolus ad plurima , velut errabundus aut hæsitans , subsisteret ; opportunum mihi visum est , brevem hujusmodi Provinciarum & Vrbium catalogum præmittere , cum Tabula Geographica itinerum duce ; non accurata illa quidem , sed ab ipsis tamen Sinarum Philosophis delineata , & quæ ad præsens negotium sufficere videatur.


Accuratiores autem ejusdem Imperii mappas , Universales , & Particulares , cum exactissima Provinciarum & Vrbium singularum , rerumque in illis contentarum

18 PRÆFAT. AD LECT.


rum descriptione ; Longitudinum item ac Latitudinum gradibus , & ceteris omnibus quæ ad Astronomicæ , Geographicæ Naturalem & Humanam Historiam pertinent , Atlanti meo Sinico reservandas esse , prudens quilibet facile animadvertet ; ne debitam ampliori Operi gratiam ostentatione præmatura subtrahamus .

DE

Septentrio
TANYU TARTARORVM REGNUM



SITVS PROVINCIAVRM
IMPERII SINICI
M. DC. LIV.



DE BELLO
TARTARICO
HISTORIA;

I: W:
*In quâ, quo pacto Tartari hac
nostra atate Sinicum Imperium invaserint, ac fere totum
occuparint, narratur; eorumque mores breviter descri-
buntur.*

TARTARI (antiquissima in Asia gens, & multarum gentium

*Tartari,
antiqui Si-
narum ho-
stes.*

principium, iam à quatuor millibus annorum Sinico Imperio inimica) sæpe acrida bella cum Sinis gesserunt, & quamvis aliquoties victi fuerint, sæpius tamen victores extiterunt. Tartaros autem voco gentem illam, quæ ad partes Septentrionales sita est, ultra famosum murum Sinarum, ab Occasu in Ortum extensum,

*qui.
quo,*

quo, per trecenta & plura milia
lia Germanica continuata
quasi serie extructo, exclude-
batur, ne Sinicum Imperium
invaderet. Centem hanc Sinæ
ipſi, jam ab antiquis tempori-
bus ob litteræ R. defectum
Tata vocant. Ea veterem Tar-
tariam, tum Orientalem hacte-
nus Europæis ignotam, tum
Occidentalem incolit; ubi Sa-
mahania, Tanyu, Niuche, Ni-
ulhan & similia gentis Regna,
à minore Tartaria & Regno
Cascar nimirum ad mare us-
que Orientale supra Iaponi-
am; ubi per fretum Anian ab
Americæ Quevira separantur,
ſi tamen hoc fretum eſt, & non
continens. Non eſt autem ani-
mus, omnia eorum bella cum
Sinis habita hoc loco descri-
bere; ſed illa tantum quæ po-
ſtremis his annis nobis præfen-
tibus peracta ſunt; reliqua in
Epitome mea Sinicarum Hi-
ſto-

storiarum reperientur. Ut autem ordine procedamus, unde, & quo modo hæc orta sint, paulo altius petendum est.

Sciendum ergo, Tartaros Tartari
etiam olim
Sinas oc-
cuparunt. veteris Tartariæ occidentaliores (de quibus Marcus Paulus Venetus, & Aytonius) postquam totam fere Asiam in suam potestatem redigissent, Sinis etiam bellum intulisse (quorum regionem Oatayum & Magin Marcus Paulus Venetus, & Aytonius vocant;) idque ante magni Tamerlani Tamerla-
nus Sinas
non occu-
pavit. tempora, qui numquam Sinas occupavit, ut perperam quidam scripserunt. Floruit enim ille postquam jam Tartari è Sina ejecti fuissent, nimirum circa annum Domini M. cccc. vi. quo tempore Taiçungus, secundus Taimingæ Familiæ Imperator, pacifice toti Sinæ imperabat, nimirum Provinciis omnibus, quæ intra murum

rum magnum clauduntur: Sinicum autem bellum cum Tartaris, quod Venetus tangit, (ut ex *Sinica* patet *Historia ac Chronologia*) anno à Christo nato M. CC. VI. inceptum fuit, & ipsos LXXIII. annos perduravit. His exactis annis tandem viatores omnino Tartari, totum potentissimum Imperium, extincta Sunga Imperiali familia, occuparunt, anno nimirum M. CC. LXXVIII. & ita pacifice satis rexerunt annis LXX. nova stabilita familia, quam Iuenam vocabant; ex qua, continua successione, novem omnino fuere in Sinis Tartari Imperatores. Venetus autem nondum omnino confecto bello Sinico, cum Tartaris Sinas ingressus est anno M. CC. LXXV. ut patet ex illius scriptis.

Interea Sinicis deliciis fratri, Sinicos induerunt mores,

&

*Tartari in
Sina Im-
peratores.*

& paulatim fortitudinem Tar-
taricam dediscentes, nimia de-
bilitati pace, Sinæ evaserunt.

In eos itaque vilissimus qui-
dam homuncio, Chu dictus, in-
surrexit; erat is Idolorum sacri-
ficularum famulus. Hic gentis
Sinæ fortem miseratus, & re-
gnandi ambitione tactus, pri-
mo latronis egit personam; cui,
cum natura generosus, audax,
manu ingenioque promptus
esset, nec animus, nec artes,
nec socii, nec fortuna defue-
runt, quibus paulatim excre-
scens, ingentes congregavit
exercitus. Relictis ergo mon-
tibus & latronis persona, jam
Dux factus, aperto marte Tar-
taros aggredi est ausus, ac mul-
tis confectis bellis, egregias de-
illis reportavit victorias. De-
mum ex toto Imperio Sinico
eos omnino ejicit, & totū Im-
perium victoriarum præmium
habuit, an. Do. M. CCC. LXVIII.

Hic

*Vilis &
infima for-
tis homo
Tartaros &
Sina ejicit.*

*Origo Tai-
mingæ Fa-
milia apud
Sinas.*

Hic Taimingam familiam Imperialem instituit, & primus ilius Imperator, Hungius dici voluit, quod magnum Belligerum sonat.

Facillime ergo tamquam patriæ Servator ab omnibus Provinciis fuit agnitus, eumque tamquam Sinam civem suum, summi æque ac infimi amplexati sunt. Sinica enim gens non magis exterros odio prosequitur ac vilipendit, quam suos amat ac æstimat. Quare in maxima Nanking urbe, ad Kiang maximi fluminis ripam (quod Sinæ ob magnitudinem & aquarum molem Filium maris vocant) Regiam sedem posuit; & brevissime stabilitis Imperii rebus, de suis Sinis securus, non contentus Tartarorum ex Sina ejectione, in ipsam irrupit Tartariam, & victoriam prosequitur; variis cladibus eos afficit, terramque fœdissime vastat:

*Tartari
victi ac
tributarii.*

vaſtat: demum ad tantas anguſtias Tartaros Orientales redigit, ut depositis armis, promiffo tributo, pacem petere coacti ſint. Hoc præcipue Niuche Tartari fecerunt, ad quorum terras Tartarorum pars ex Sinis profligata confugerat. Hi ergo quotannis per vicinas Leaotung terras, Sinas ingrediebantur, ad commercia tamquam ſubditi vel amici admifſi; bellum autem non cogitabant, ferè ad egestatem redacti. Adferebant autem Ginfem, radicem illam à Sinis ad eò æſtimatam; animalium pelleſ omnis generis, Caſtorum, Vulpium, Martium ac Zibellinas pretiosiſſimas; demum & equorum crines, ex quibus Si-nenses reticula ſua conficiunt; quibus & mares capilloſ ſtrin-gunt capitis, hoc ornamenti genere ſtolidè læti. Paulatim autem Tartari illi in ſeptem-

B Hor-

Tartaria
merces.

Hordas sive Dynastias creverunt; & demum inter se bellantes, in Regnum unum evaserunt, circa annum Domini M. DC. Niuche Regnum vocarunt.

Occidentalioribus autem Tartaris Tanyu Regni, pace initâ tributum vel dona Imperator Sinicus quotannis transmiscebant, ut ab armis quiescerent. Nec indecorum sibi hoc credunt Sinæ, ut bellum avertant, quod ex Philosophorum suorum doctrina damnant maximè, & solum suscipiendum, cum reliqua omnia ad quietem & conservationem Provinciarum desunt.

*Sinicus
Imperator
fine in sa-
mua no-
ta Tar-
taris dona
dat.*

*Praesidium
ingens ad
muri custo-
diam con-
tra Tarta-
ros.*

Interea meticuloſi Sinæ, & antiquis suarum divitiarum hostibus parum fidentes, numquam murum illum magnum absque ingenti praesidio relinquebant, decies centena milium millia seu millionem (ut vocant)

cant) ad illius custodiam continuo alentes, qua longe ab Ortu in Occasum extenditur.

Imperium itaque Sinicum In Sinis multorum annorum continua pax. sic stabilitum ac firmatum, sub Taiminga Familia constanti pace ac quiete fruebatur, fere per ducentos quinquaginta annos. Eo autem tempore quo Tartarorum septem Dynastæ inter se pugnabant, felicissimus Vanlieus Imperator, ex Taiminga Familia decimustertius, toti Imperio jura dabat. Hic Imperium sumxit anno à partu Virginis M. D. L X X I I I . & usque ad M. D C. x x . perbelle rexit, magna tum prudentiæ tum æquitatis ac justitiæ fama. Interea vero Niuche Regni Tartaro- rum multiplicatio Sinis formidabilis. Tartari ita excreverant ex quo in unum coaluerant Regnum, ut Sinis indies magis magisque formidabiles essent: quae de illis in officio continendas & vastandis Sinici Præfe-

Et secreta inter se consilia haberunt. Tanta est autem penes Sinicos Præfectos auctoritas ac potestas, ut quamvis tamquam Regis sui mancipia ad illius nutum vivant; tamen in commisso sibi munere ob bonum publicum peragendo, tamquam absolutissimi domini agant, nisi vel ab Imperatore, vel à majoribus forte impediantur Præfectis: atque ideo à Lusitanis Præfecti illi nuncupati fuere *Mandarini*, quia mandare ipsis ita proprium est, ac si supremâ quadam potestate prædicti videantur. Inter ea prætermisso nomine Mandarinorum, Præfectos eos nuncupabo.

*Prima bel-
li Tartarici
cassa.*

Primo itaque Præfecti Tar-
taros mercatores male in Le-
otung Provincia, quæ Niuche
Regno confinis est, excipiunt,
ac bonis subinde privant: mox,
cum Rex Niuche Regni, fi-
liam

liam suam alteri Tartaro Regi Secunda causa.
in uxorem dare vellet, poli-
ticas rationibus Status adducti,
hoc ipsum impediunt: demum
Niuche Regem, nihil sibi ab
amicis metuentem, fraude ca-
piunt, ac perfide occidunt.
Hujus vero filius, has ulturus
injurias, collecta valida mili-
tum manu, repente murum ma-
gnum superat, per frigore con-
cretum fluvium copias indu-
cens, & eodem impetu ingen-
tem Urbem Caiyven, alii Tu-
xun dicunt, Tartariæ vicinissi-
mam invadit ac capit anno
M. D C. X V I.

Ex hac Urbe per Indum ido-
lorum sacrificulum (Lama vo-
cant) ad Imperatorem Sini-
cum epistolam mittit, Tarta-
rico exaratam charactere, sed
non barbara continentem: in
ea verbis plane humilioribus,
ac submissione plenis, Im-
peratorem admonebat, se

*Protestatio
Tartaro-
rum contra
Sinas.*

*Sinicorum
quorumdā
Prefecto-
rum super-
bia Tarta-
ricum bel-
lum accen-
dit.*

*Barbarum
acsupersti-
tiosum
Tartari
Regis vo-
num.*

quidem ob acceptas à Sinicis
Præfectis injurias, bellum mo-
visse; Urbem tamen redditu-
rum, ac arma omnino deposi-
turum, si audiretur, & illata per
injuriam damna sarcirentur.
Accepta hac epistola, Vanlieus
Imperator, licet alioquin mag-
na polleret prudentia, ac insi-
gni esset in rebus agendis ex-
perientia præditus, in hoc ta-
men negotio jam senex minus
provide egisse visus est. Nam
minoris rem ducens quam ut
in Aula regia tractaretur, sum-
mis Præfectis causam commi-
lit. Hi vero pro consueta su-
perbia, nec responso Tartari-
cum Regem, tamquam Barba-
rum, dignati, quod inveniretur
qui apud suum Imperatorem
de injuria expostularet, indi-
gnabantur.

Tartarus Rex spretum se
videns, nec responso de justif-
fima re quam petebat digna-
tum,

tum, ira in rabiem versa, ut patri suo parentaret, ducenta Sinarum millia se occisurum vovet, more gentis. Tartari enim cum nobiliores moriuntur, simul famulos aliquos, mulieres, equos, arcus ac sagittas in rogum injiciunt, ut mortuo etiam post mortem servitia sint; quamvis modo, occupato Sino Imperio, barbarum hunc morem reliquerint, ab ipsis Siniis correcti. Mox etiam ultricia arma circumfert, & cum quinquaginta equitum milibus Leaotung Provinciae Leoyang metropolim infesto petit agmine, ac obsidione cingit. Urbem ingens militum numerus custodiebat, qui ut plurimum sclopetis armati erant: *Leoyang metropolis obsidetur ac capitur.* Tartari autem solo acinace, arcu ac sagittis, iisque admodum præstantibus incredibili dexteritate utuntur. Cum autem sclopetariorum pilas quam

*Stratage-
ma contra
sclopeta.*

maximè formidarent, ignotum illis armorum genus stratageme eluferunt. Militibus enim antesignanis crassum afferem pro scuto dedit Rex Tartarus, quo tecti ac constipati equites, ligneum parietem conficiebant; hos sequebantur qui scalas ad mœnia scandenda portabant; ultimum agmen fortissimi occupabant equites. Ita ex quatuor partibus Urbem aggressus est: primas sclopetarium pilas afferum muro exceptit; tunc velocissime undique scalæ applicatae sunt, mœnia superata, ac demum Urbs occupata. Ea autem fuit Tartarorum velocitas (qua insignes sunt, cuique præcipuas roboris partes tribuunt) ut Sinis spatiū non dederint ad denuo oneranda sclopeta. Nec parum Sinis obfuit sclopetariæ artis imperitia; unde repentino malo attoniti, qua data porta fugebunt:





runt : sed à velocissimis Tar-
tarorum equitibus occupati
plurimi occisi sunt. Hac ob- *Varie Ci-*
tenta urbe non diu cunctatus *vitates oc-*
Rex Tartarus , eodem impetu *cupantur.*
alias minoris nominis in suam
redegit potestatem ; inter quas
etiam nobilissimam Quang-
ning occupavit. Inde progres-
sus quam celerrimè, Leaotung
Provincia superata , in vici-
nam Peking penetravit. Sed
cum à regia urbe septem tan-
tum aut circiter distaret leu-
cis , ultra , ne intercluderetur ,
progredi timuit , quod undi-
que Sinarum ingentes con-
fluerent exercitus. Tantus au-
tem regionis , per quam Tarta-
ri vagabantur , incolas ac mili-
tes invaserat pavor , ut maxima
ex parte mœnibus vacuis reli-
ctis aufugerent. Tartarus enim *Tartari ea-*
resistentes urbes *ut trahent.*
non modo diripiebat , sed igne
ac ferro omnino vastabat ; illas

vero, à quibus sine vi admittebatur, spoliata dumtaxat urbe, ac incolis salvis relictis, mitius tractabat. Ita quamplurimis collectis divitiis victor ad Leaotung metropolim reversus, novis mœnibus eam cinctum munivit, antiquis dirutis, ea infesta esse ab ariolis edoctus.

*Tartarus
Rex, Sinarum Imperatorum Imperatorem se vocat.*

Hic demum se Sinarum Imperatorem vocari jussit: & quamvis nihil ex Sinico Imperio occupasset praeter ultimam illam Orientalem appendicem in Leaotung Provincia; tamen jam spe totum Imperium devorarat. Dicitus est ergo Sinico nomine Thienmingus, anno regni sui tertio, qui fuit à Christo Domino M. DC. xviii.

Eodem anno, Imperator Vanlieus, rogatus à quibusdam ut Patres Societatis J E S U, Christianæ fidei propagatores, Regno expelleret; postquam fæpius abnuisset (nam Christias

nam

nam rem ac Patres amore pro-
sequebatur) tandem importu-
nitate maximi cuiusdam Præ-
fecti, Xinkio dicti, victus (qui
capitalis Christianæ Religionis
hostis pridem fuerat) decre-
tum fecit, ut Patres, qui Chri-
stianam rem in Sinis procura-
bant, ejicerentur omnes. Per
varias Provincias Patres sparsi
erant; unde aliqui occulte à
Christianis Præfectis servati
sunt, reliqui caveis clausi, Ma-
caum sunt ablegati; quo in iti-
nere incredibilia die noctuque
in summis angustiis illis per-
pessi sunt; aliqui etiam crudeli-
ter à Præfectis verberibus cæ-
si, non sine gaudio, quod digni
habiti essent pro nomine IESV
aliquid pati. Ad hæc Vanlieus
Christianam Religionem suis
interdixit. Hac occasione Si-
nenses, qui ex idolorum silvis
ad Domini pascua accesserant,
pulcherrima suæ Fidei ac con-

stantiae dedere exempla: cuius
persecutionis narratio proli-
Ob persecu-
tionem in
Christianos
motam
Deus Sinas
punit.
xior etsi alterius est loci, per-
stringenda hic tamen fuit, ut
Divinam Providentiam admi-
remur, quæ tunc acre bellum
Sinis movit, quando rem pa-
cemque Christianam perturba-
bant. Eo certe anno effectum
est, ut Tartari radices illas in
Sinico Imperio figerent, ex
quibus tantum postea creve-
runt, ut Taimingam Familiam
extirparint, ac Sinicum ferè to-
tum occuparint Imperium,
quando aliqui inter Sinas Chri-
stianam rem radicitus extirpa-
tum ibant. Sed crevit, uti solet,
persecutione Fides eam in ma-
gnitudinem, quâ hodie lætatur
Ecclesia; & suum Sinæ Impe-
rium, nisi rebus illorum afflictis
succurrat Deus penè amiserūt.

Interea tamen Sinenses de
expellendo hoste solliciti, per
Præfectos totâ Sinâ delectum
habent.

habent. Sexcenta selectorum militum millia conscribunt: Rex etiam Coreæ (quæ oblonga peninsula est inter Sinam & Iaponiam) duodecim millia Sinico Imperatori in auxilium mittit. Cum hoc ergo potentissimo exercitu circa Martii initium M. D C. XIX. in Tartaros movent. Tartari audacter obviam procedunt: aper-
to, & diu dubio marte pugna-
tum: tandem Sinarum exerci-
tus fusus, & quinquaginta mil-
lia cæsa, & præcipui exercitus
Duces. Tartari, ut solent, velo-
cissime victoriam prosequun-
tur: duas eodem die civitates
diripiunt ac comburunt, igne
ferroque vastantes omnia.
Post hæc, prædantes ad ipsa
usque Peking Regiæ mœnia
penetrant; urbis tamen expu-
gnationem tentare non ausi,
quâ infinita erat tormento-
rum copia, & ad octoginta
mili-

Tartari in
pugna vi-
ctores.

*In Regia
Peking pa-
vor ac
confusio.*

militum millia præsidium. **Fatentur** Sinæ, tantum pavoris ac confusionis Regiam invasisse, ut jam de deserenda Regia Imperator cogitaret, ac Australiores petere Provincias decerneret: quod re ipsa fecisset, nisi Præfectorum aliqui obstatissent, sugerentes illi, hanc fugam animos Tartaris addituram, & omnino totum turbaturam Imperium; nihil enim aliud esse fugere, quam terras inimicis cedere. **Fatentur** præterea, quod si Tartari impressionem fecissent, urbem omnino occupaturos fuisse. **Verum** hi potius prædæ ubique inhilarunt. Longe enim lateque diffusi, urbes, civitates, ac oppida obvia diripuerunt, & ubique ingentem Sinarum vim crudelissime mastrarunt; ac demum reliquis locis omnibus relicitis sine præsidio, in ultimam Leaotung partem regres-

*Ab duellis
prædis re-
vertuntur
Tartari.*

si sunt , spoliis onustissimi.

Post hæc anno M. D C. x x. ^{Moritur}
moritur Imperator Vanlieus: ^{Vanlieus.}
succedit eodem anno filius
Taichangus ; qui , dum contra ^{Succedit}
Tartaros novas colligit vires, ^{Taichan-}
nondum absoluto quarto Im- ^{gus;}
perii mense , & ipse moritur. ^{sed cito ma-}
ritur.
Succedit Thienkius ; qui ubi ^{Eligitur}
Thienkius.
Imperium assumpsit, destinato
ad Coreæ Regem Legato , a-
etisque de misso ad avum sub-
sidio gratiis consolatur eum de
suorum clade in Sinico servi-
tio accepta ; magnificentissima
ac Sinico Monarcha digna mu-
nera mittit , ea mente ut majo-
ra extorqueret auxilia. Coreani ^{Coreani Si-}
enim, ut situ loci, ita fortitudi- ^{nis fortio-}
ne bellica ad Japones acce- ^{res.}
dunt proximè.

Ut porro solidius imminen- ^{Nova con-}
ti malo obviam iret , ex toto ^{tra Tartar-}
Imperio nova accersit auxilia: ^{ros prepa-}
ita ingentes exercitus in Leao- ^{rationes.}
tung transmisit , Tartaris in
reli-

reliquas Provincias ulteriore-
rem ingressum prohibiturus;
quibus ut facilius provideret,
annonam & reliqua submitten-
do, in Thiencin qaoque portu
ingentem navium classem præ-
paravit. Thiencin autem statio
est, ad quam qua mari, qua flu-
minibus, ex totâ Sinâ facile
naves penetrant, ac congregan-
tur incredibili sâpe numero.
His igitur compendio itine-
ris mari omnia facile submit-
tebat. Leaotung enim Pro-
vincia tota ferè mari alluitur,
& maritimo itinere duorum
tantum dierum à Thiencin
emporio distat; cum terra in
multo longiorem se tractum
exporrigat.

Amazon
Sina fortis-
sima. Inter Duces auxilia addu-
centes, mulier fuit, quam verè
Amazonem Sinensem vel Pen-
thesileam alteram vocabimus.
Illa ex Suchuen, Provinciâ
satis remotâ, cum tribus mil-
libus

Thiencin
portus som.
modissi-
mus.





libus adfuit , viriles non modo
animos , sed & vestes induit,
imo & titulos assumens qui in
virum non feminam conveni-
rent. Hæc non rara contra
Tartaros dedit fortitudinis
exempla; & posteà quam plu-
rima contra rebelles, qui in Si-
nicum insurrexerant Impera-
torem. Venerat autem filioli
loco, quem bello ætate non pa-
rem domi reliquerat in pro-
prio Regno. In montibus enim
Suchuen Provinciæ Regnum
quoddam est Sinis non subje-
ctum, sed juris sui: solum quip-
pe honoris causâ titulum Re-
gium ab Imperatore accipit
Sinico; de reliquo Montani so-
li suo obediunt Regi , ac tri-
buta solvunt : ac fortitudine
bellicâ ceteris totius Imperii
militibus longe præstant.

Hac usi occasione , Chri-
stiani Doctores (Doctorum
autem summa isthic æstima-
tio

*Pium Chri-
stianorum
inventum.*

tio atque auctoritas est) præfertim Paulus & Michaël, Imperatori persuaserunt, ut à Lusitanis majora nonnulla tormenta pretiosque eorum libatores deposcat. Erat Christianorum Præfectorum mens, eadem occasione Patres ac rem Christianam apud Sinas restituere. Placuit res Imperatori: Patres, qui hactenus occultè rem Divinam procurabant, adesse jubentur; novi non pauci admissi cum Lusitanis militibus sunt: ita res Christiana, consensu Imperatoris, ad hæc usque tempora, fremente dæmone ac Christianæ Religions inimicis, perbellè processit, continuoque augetur. Ac Deus quidem Imperatoris in rem Christianam amore in liberalissimè remuneratus est. Antequam enim Lusitanica advenirent subsidia, & Tartari omnino ex Leaotung ejecti sunt,

Tartari
omnino ejiciantur.

sunt, & incolæ nimiam Tartari Regis crudelitatem detestantes, advenientibus Sinis ul- tro porta saperuere, in præsidia me sic insurgentes, ut ipsam etiam metropolim Leaoyang re- curaparint. Nam Rex Tartarus, aliis bellis in Tartaria occupatus, subvenire in tempore non potuit. Ita partim res Imperii respirarunt, partim Tartari re- pressi sunt.

Ceterum quamvis instabilis fortuna Sinis lætiorem ostenderet vultum, quieta tamen, more suo, non fuit. Nam Rex Tartarus, confectis in Tarta-
ria rebus, iterum in Leaotung irrupit, ac præmissis sexaginta equitum millibus imperavit, ut metropolim Leaoyang ob-
dione cingerent; se deinceps priorem exercitum cum majo-
ribus copiis subsecuturum.
Quadraginta horarum spatio
munitissima urbs iterum in Tar-

Iterum
Tartari
bellum anno
vent.

Leaoyang
urbs iterum
obfidetur as
capitur.

Tartarorum pervenit potestatem, quibus tanta contentione utrumque pugnatum est, ut ex Sinico præsidio triginta millia desiderarentur. Nec Tartaris incruenta victoria fuit: magnam enim & quantam vix ante stragem acceperunt, viginti millibus suorum desideratis: imo urbem non recuperassent, nisi à Sinico Præfecto, ingentibus sponsionibus corrupto, porta, ut Sinæ loquuntur, aperata fuisset. Utut fuerit, Tartari urbem receperunt: Pro-rex dolore victus suspendio vitam abruptit: Visitator Regius vivus in hostium venit potestatem; numquam tamen Tartaris honorem aut nomen Regium dare voluit, indignum ducens, Barbaro se submittere. Ea constantia ab ipsis hostibus laudata, libertatem obtinuit. Verum qui ab hoste vita donatus est, illo longe crudelior, eam laqueo sibi

*Proditor
Sina.*

sibi ipse ademit, quod sciret,
more gentis, apud Sinicum Imper.
mortis se esse reum, quia
infeliciter pugnarat. Occupata
in hunc modum urbe, Tartari
civibus edicto publico signifi-
carunt, neminem se occisuros,
si more Tartarico capillos ra-
derent, ac vestes Tartaricas in-
duerent. Tartari enim (ut ex
occasione nonnullos eorum
describam mores) capillos non
alunt; caput continuo radunt;
barbam etiam totam eradicant,
oblongis relictis mystacibus; in
occipite modicos finunt excre-
scere capillos, quos pulchre
contexunt, & ab humero quasi
caudam contemptim demit-
tunt: biretum capiti æquale ro-
tundum gerunt, at humile; hoc
pretiosæ pellis fascia per circu-
litum ambit, ad duorum vel tri-
um digitorum latitudinem (ea
plerumque castoris vel zibelli-
narum est;) hæc pellis aures,
fron-

*Editum
Tartare-
rum.*

*Tartaro-
rum vestissæ
ac mores.*

frontem ac tempora à frigore
defendit : quantum vero bireti
supra pellis fasciam eminet ,
tantumdem rubra byssus undi-
que sparsa tegit , vel nigri aut
purpurei equorum crines ,
quos pulcherrime tingunt: ge-
ftamen planè commodum nec
inconcinnum. Vester illis sunt
oblongæ ad talos usque demis-
sæ , sed strictis manicis (non
latis , ut Sinarum sunt) & pa-
rum ab Hungaricis aut Polo-
nicis differunt : manicæ in e-
quinæ unguæ figuram desi-
nunt: cingulo se stringunt , ex
quo à lateribus utrimque stro-
phiola pendent , ad faciei ma-
nuumque munditiem: cultel-
lus etiam ad usus pendet , &
marsupia duo , in quibus taba-
cum aut similia servant. Sini-
stro latere ex eodem cingulo
acinacem ita suspendunt , ut
acumen præcedat , manubrium
à tergo elevatur ; unde etiam
à ter-

à tergo dextera manu extra-
hunt cum pugnant, quod una
manu fit absque vaginæ conta-
ctu. Calceis vix utiuntur; ocreas
sine calcaribus adhibent, ex
curato equino corio, aut ferico
panno factas; soleas sæpe ad
trium digitorum altitudinem
pulchrè æquales extollunt: sta-
pedes equitando adhibent;
ehippia nostris humiliora
sunt, & latiora. Ceterum satis
pulchrâ faciei ac corporis con-
stitutione sunt, albo colore; la-
tam plerumque ut Sinę faciem
habent, nasum non omnes
æque simum, neque oculos
tam parvos: parum loquaces,
& quasi cogitabundi equitant:
mores eorum reliqui, nostris
Bosphori Tartaris non absimi-
les, sed minus barbari. Exteris
mirè gaudent: morosam Sina-
rum gravitatem non ferunt; at-
que hac de causa in primo con-
gressu humaniores apparent.

Hæc

Hæc de illorum moribus pauca. Ut vero ad urbem ab illis occupatam revertamur ; cum in ea ex aliis Provinciis quamplurimi ditissimi adessent mercatores , liberum illis discessum cum rebus suis permisérunt , jubentes ut quamprimum urbem desererent . Hi

*Tartaro-
rum perfi-
dia.*

non intellecta Tartarorum perfidia , cum divitias ac merces egressi urbe exportarent , vix tribus millibus passuum ab urbe aberant , quando à Tartaris invaduntur , & ad unum necantur ; illi spoliis ditissimi , in urbem timore plenam (nam similem Tartarorum perfidiam formidabant) regressi sunt.

*Tartari
quiescentes*

Verum , quia Tartaris magno stetit prædictæ urbis expugnatio , suorum clade deterriti , ultra progredi non sunt ausi : nam in reliquis urbibus similia timebant . Sciebant enim omnibus optimè provisum à Sini- cis

cis fuisse Præfectis. Imperator enim Thienkius non modo antiqua loca bene munierat, verum multas in difficilioribus aditu locis munitiones extruxerat; quas inter Xanghai maxima ac nobilissima erat in Insula Cu, ubi ingentem militum numerum disposuit, quibus Tartaris transitum prohibebat. Sed maxime Tartaros inhibuit fortissimus Dux Maovenlungus; qui ingenti classe Insulam Coreæ vicinam occupaverat in fauibus Yalo fluminis. Hic Tartaros à tergo infestavit quammaxime, ad coque sæpiissime in variis velitationibus fudit: unde totam Tartarorum in se curam converterat. Erat Maovenlungus ex Quangtung Provincia, ubi ex Lusitanorum commercio multa rei militaris rudimenta didicerat: quamplurima etiam tormenta quæ naufraga Hol-

*Regis Si-
narum for-
tissimus.*

*Nova Me-
tropolis in
Leaotung.*

landorum navis in littore de-
posuerat, consecutus, eorum
non nullis mœnia Ningyven-
sium instruxit. Hanc enim ur-
bem Sinarum Imperator loco
Leaoyang Metropolis titulo
donaverat, in quâ novus Pro-
rex, ac Regius habitabat Visi-
tator, cum exercitus robore.

Quievêre itaque Tartari ad
annum usque M. D C. x x v. quo
demum cum maximis copjis
Ningyven novam metropolim
aggressi sunt, postquam mag-
nis promissis Maovenlungi fi-
dem tentassent. Ut ad suas eum
partes allicerent, dimidium Si-
nici Imperii promittunt, si ad
illud occupandum cum dele-
ctâ suorum manu se adfuturum
sponderet: at ille non minus
fortis quam fidus, spretis Tar-
tarorum promissis, Ningyven
urbi per suos auxilio fuit: unde
*Clade affi-
ciuntur
Tartari.*

*Zidelifi-
mus Sinis
Dux.*

gis

gis filius. Quamobrem irâ fre-
mèntes, per concretum mare
Thaoyyen Insulam invaser-
runt; decem millia præsidia-
riorum ad unum occiderunt,
& incolas omnes miserè truci-
darunt: atque ita cladem ac-
ceptam ulti, in Tartariam re-
dierunt, non quiescendi ani-
mo, sed vires majores congre-
gandi. Ita rebus ad annum us-
que M. DC. XXVII. quo Thien-
kius Imperator adhuc juvenis
obiit, utcumque quietis, cum
eo Sinicum Imperium quo-
dammodo corruit. Sed &
Tartarus Rex, eodem anno,
qui crudelissime tot occiderat
homines, mortuorum nume-
rum auxit. Thienkio in Sinico
Imperio succedit illius frater
Zungchinius, infelicissimus Imperator
ob suorum perfidi-
am; de quo plura infrà. A
Thienmingo vero Regnum
Tartaricum ad Thienzungum

*Tartaro-
rum cru-
delitas.*

*Moritur
Thienkius
Imperator,
& Rex
Tartarus.*

*Zungchi-
nius in Si-
nis eligitur
Imperator.*

Thienzun-
Ius, Rex.
Tartaro-
rum, hu-
manior.

filium devenit. Hic patris gubernandi modum mutavit: Sinas melius tractare cœpit, ac humaniter excipere, salubri quidem consilio, si longior ei vita contigisset; sed & bono eventu, quia filio exemplum reliquit, comitate potius quam armis debellandi Sinas.

Militum
insolentia
Coreanos
exasperant.

Hoc autem anno, cum insolentes Maovenlungi milites ab hostibus otium haberent, amicis Coreanis, rapinis, ac aliis militaribus insolentiis negotium facessunt: vicinas terras ubi in præsidio erant, Hienkien præcipue Provinciæ incolas ita vexarunt, ut eorum quamplurimi indignatione moti, ad Regem Tartariæ transierunt; cui & suaserunt, ut per milites Coreano indutos habitu, Sinicum invaderent exercitum, nihil sibi ab amicis Coreanis metuentem; & suam insuper ad hoc facinus (Patriæ,

triæ, Regi, ac Sinico Imperatori perfidi) operam obtulerunt. Placuit Tartaro consilium : Pro-regem ergo cum potentissimo exercitu mittit. Hi itinera monstrantibus Coreanis, nihil tale suspicantem Sinicū exercitum, per agros palabundum invadunt. Ac primum quidem nondum paratum ad vim repellendam, ingenti strage afficiunt ; deinde, ubi Maovenlungus Tartaros esse animadvertisit, quanta potest diligentia ordines instruit, ac egregiè Tartarorum vim repellit. Pugnatur utrimque acerri-mè, donec tandem Maovenlungi virtus coacta est cedere. Cum suis itaque ad naves fugit, ac Insulam repetit, relictā manu quæ Tartarorum vim sustineret, dum reliqui naves conscenderent. Tartari, quod eum omnino non debellasset, & Maovenlungus evasisset,

*Tartari in
Coream in-
troduti.*

*Maoven-
lungus in-
vaditur.*

quem unicum petebant, se à Coreanis deceptos credunt; præsertim cum & cruentam habuissent victoriam. Inde irâ frementes, in ipsos perduelles irrumpunt, & ad unum necant: id quod & ipse Rex Tartarus postea damnavit. Eodem deinde impetu, confines Tartariæ borealiores quatuor Coreæ provincias depopulantur. Interea Rex Coreæ exercitum suum colligit, ut Tartaris resistat; & Maovenlungus quoque repartis viribus Coream ingreditur, cladem à Tartaris accep-tam ulturus. Pervenerant jam Victores Tartari ad fauces montium, per quos ad Regiam urbem Coreæ iter est, septem leucis ab eâ distantes: has Rex Coreæ cum magno occupaverat exercitu, quem Tartari animosè invadunt. Vix trium exercituum pugna, ac frages. prælium inierant, quando magnis itineribus Maovenlungus adest,

adest, & à tergo Tartaros adoritur. Hi à fronte ac à tergo clausi, ubi nullum nisi in manu & armis effugium vident, salute utrimque desperatâ divisi, duorum exercituum vim egregiè sustinent. Pugnantium is ardor fuit, cui parem Sinæ numquam viderant. Mira dictu res, ex tribus exercitibus nullus victor fuit, deleti propè omnes: ex Tartarico quinquaginta millia desiderata sunt; ex Coreano septuaginta millia; ex Sinico autem rarissimi evaserunt: quod maximè in eum Tartari, aperiendæ sibi fugæ irruissent; quâ datâ, effusè Tartariam repetivere. Ita eorum nullus victoriā obtinuit, aut victoriæ cursum prosequi potuit: Coreæ tamen Rex, reparato utrimque exercitu, vacuas à Tartaris Provincias facile recepit suas.

Post hæc sæpè Leaotung
C 4 in-

*Orientalis**Leaotung**pars Tarta-
ris paret.*

ingressi Tartari, Orientalem partem totam in suam redegerunt potestatem; inde in aliam partem ingressi, prædas egerunt; pedem tamen figere numquam potuerunt; saepe cladibus affecti sunt, ac repressi. Jam enim Lusitani tormentorum tractandorum periti septem advenierant, qui tum per se, tum per Sinas à se edoctos egregiam Imperatori Sinico navarunt operam; præcipue ubi summam belli regebat Sun Ignatius Prorex, Christianis sacris initatus; de cuius rebus ac exitu aliqua infrà dicenda.

*Subdolus
et perfidus
Sinarum
Dux.*

Hoc rerum statu, Imperator Zungchinius cum ampla potestate, ac novis exercitibus Yvenum Duxem misit in Leotung, eique mandavit ut pacem iniret cum Tartaris, si illam admitterent. Jam enim intra Sinicum Imperium latrones exorti, illud perdituri

ex-

excreverant, qui magis quam Tartari Imperatorem anxium habebant. Erat Yvenus subdolo ac astutissimo ingenio præditus, sermone simul & calamo eloquentissimus, qui rationibus ex militari peritia deducetis, non modo Imperatorem, sed & Regiæ summos Præfetos dementarat. In eo itaque spem totam Sinæ posuerant: nec spe suâ Imperator frustratus fuisset, si nequissimus Yvenus bonum publicum ac fidem speratis divitiis prætulisset: nam à Tartaris ingentem auri vim accepit; quo corruptus, primo Maoenlungum (quem unum Tartari timebant) fidelissimum ac fortissimum, con-

Maoen-
lungus ve-
neno occi-
ditur.

vivio exceptum, propinato veneno necavit: deinde iniquissimis conditionibus pacem cum Tartaris fecit, ad Tartarorum arbitrium, quorum opibus inhiabat. Eas conditiones, à Pa-

cificatore empto admissas, ubi Imperator vidit, indignatione motus, rescidit. Quid faciat hoc loco Y venus? Ut Imperatorem ad eas admittendas co- geret, anno M. DC. xxx. Tartaris suadet, ut aliâ vitâ, non per regionem quam ipse cum præsidio habebat, Sinas ingredian- tur; se enim nihil moturum. Tartari cognitâ illius avaritiâ, securi consilium admittunt, à tergo jam nihil metuentes, Peking Provinciam ingrediuntur; quamplurima diripiunt lo- ca; urbes ac civitates vastant; ipsam demum Peking Regiam obsident. Jam Præfecti Impe- ratori suadebant, ut ea relicta Australes peteret Provincias: at ille mortem sibi potiorem ratus, quam è Borealibus partibus fugam; ne ex Regia qui- dem abeundi facultatem cui- quam concessit. Interea Tarta- ri impressionem faciunt, &

*Regia Pe-
king obsi-
detur.*

cum

cum clade suorum sæpius rejiciuntur. Advocatur etiam Y-
venus, cuius nondum innotuerat perfidia, ut Tartaris resistat.
Adest illico, ne videatur perduellis: ad ipsa usque mœnia
Regiæ accedit, cuius vastitas
magnum inter duos exercitus
intervallum erat, unde & Tar-
taricus & Sinicus videbatur
exercitus. Sed Yvenus nihil
magni agit; imo Imperatori
persuadere conatur, ut à se fa-
ctas Pacis conditiones admit-
tat. Mens una illi erat, ut quam
ditissimus domum suam redi-
ret. Nec fefellit Zungchinum
proditoris, quamvis altâ simu-
latione tecta, cupiditas. Ergo
nullo cum Præfecto re com-
municatâ, Yvenum invitat in
urbem ad militare consilium.

Per murum intromissus est,
nulla aperta, obtendente Imperatore nimiam Tartarorum
vicinitatem; revera autem, ne

*Perfidus
dux mira
arte capiatur
ac occidi-
tur.*

illius ingrederetur exercitus. Habebat summos Præfectos fautores aliquos ac amicos Y-venus, à quibus cum non admoneretur de infesto Imperatoris animo, quem & ipsimet ignorabant, satis securus ingreditur. At ubi vero ad conspectum Imperatoris venit, capitum illlico, & brevi habitâ quæstione trucidatur. Tartari cognitâ illius morte, antequam novus daretur Sinico exercitui Præfctus, urbe Regia relata, circumiacentem Regio-

Tartari Pe- nem vastant, in Xantung usque
king Pro- progressi: demum spoliis o-
vincia va- statâ, exce- nusti in Leaotung regrediuntur.
dant. Post hæc ad annum usque
 M. D C. xxxv i. varia fuit bel-
 li fortuna; numquam tamen
 Tartari intra Sinas pedem fi-
 gere potuere, semper ejecti.

Moritur Eodem anno moritur Tartarus
Tartaro- num Rex; Rex Thienzungus, cui filius
num Rex; alter succe- successit Zungteus, qui, modo
dit.

Sini-

Sinicū Imperium gubernantis, pater fuit: de quo hæc sunt memoriæ tradita.

Jam antequam regnare cœ-
pisset, magnam prudentiam
præ se tulit Zungteus; comita-
tem in primis ac reliquas
Regias virtutes, si quis ali-
us gentis suæ, coluit. A patre
missus, adhuc puer, Sinicas in-
dutus vestes, inter Sinas occul-
tus vixit; mores, litteras, doctrina-
nam ac sermonem Sinensium
accuratè perdidicit. Regnum
adeptus, Decessorum suorum
gubernandi modum in melius
mutavit; patrisque exemplum
hac parte secutus feliciter su-
peravit. Nam animadvertis-
suorum nimiam crudelitatem
in tractandis Sinis, ne quid ma-
gni efficerent, obstitisse; ut
Imperium, cui inhiabat, non
minus amore quam armis subi-
geret, alios mores induit: ad-
venientes Sinas quoscumque

Zungteus,
novus Tar-
tarorum
Rex, comis
ac prudens.

*Comitas
potior in oc-
cupandis
Regnis.*

amore & benevolentia deme-
rebatur, captivos benè habe-
bat, & ad obsequium suum in-
vitabat, vel liberos dimittebat.
Ita, crescente comitatis ejus
famâ, quamplurimi Duces &
Prefecti ad eum confugiebant;
à quibus deinde adjutus, sicut
eorum amorem sibi conciliare
noverat, ita & Imperium ma-
gna ex parte occupavit. Satis
enim constat, plus sæpè in ob-
tinendis ac firmandis Regnis
valuisse amorem quam arma;
& nimia in subditos sævitia
frequenter amissum, quod ar-
morum potentia fuerat felici-
ter occupatum. Ubi ergo Sinis
innotuit, se apud Tartarum
Regem non modo asylum, sed
& gratiam habere, plurimi, Si-
nici Imperatoris iram fugien-
tes, ad Tartarum se recepere.
Est enim Sinicæ gubernationis
inhumana illa quidem, sed in
speciem necessaria, ob quo-

rum-

rumdam perfidiam ac avaritiam consuetudo, ut Duces & Praefecti illi morte mulctentur, in quorum administrationem infelicius quidpiam incidet: facile enim sibi persuadent, illud non ex inconstantis fortunæ vicissitudine ortum sed vel ex negligentia, vel perfidia. Si quis adverso Marte pugnam iniit, si commissam sibi Provinciam perdidit, si populi defectione, milites seditione tumultuantur, ea Reip. vulnera, undecimque provernerint, ad Praefectos transeunt, quorum paucis vita relinquuntur. Cum itaque non rari Duces aut Praefecti hinc Tartari humanitatem, inde Imperatoris iram reformidarent, hanc fugientes, illam data occasione amplectebantur.

Qua res me admonet, ut quid Pro-regi Ignatio, Deo ac Regi fidissimo non minus quam

*Barbarus
Sinatum
mos.*

*Ignatius
fortissimus
Dux Chri-
stianus, in
juste occi-
ditur.*

*Ignatii
fidelitas.*

quam fortissimo Duci acciderit, exponam. Hic, tota stupente Sina, Tartarorum asylum, & suorum militum promissas vires vitae postposuit ac fidelitati; & maluit in ingrata patria, etiam injusta ex sententia, carnifici caput amputandum submittere, quam vel illam relinquere, vel minimum in Imperatorem, etiam iniqua statuenter, crimen committere. Poterat fortasse (ut milites illi suadebant sui) & Regnum occupare; sed occumbere maluit, quam infidus, vel Patriæ profugus ac proditor audire. Postquam ergo non raras habuisset victorias, & quamplurimas à Tartaris receperisset urbēs, ac omnino eos jam debellandi spes adefset, accidit, ut illius milites, multo tempore solitis stipendiis carentes, per seditionem, amicam urbēm invaderent ac diriperent. Sæpius Ignatius de

de suorum militum inopia Imperatorem monuerat , & stipendia per supplices libellos petierat: sed ejus libelli in Regia à Præfectis supprimebātur, quorum avaros animos pecunia aut donis, ut reliqui solent, non emebat. Præterea cum Christianis sacris initiatus esset, ac vere pius , nihil nisi rationi ac justitiae consentaneum in sua agebat gubernatione. Quare Ex præfectorum præcipue in se odium accedit, qui (ut est pluribus solemne) ob accepta à litigantium parte munera , contra aliam partem favorem petebant apud Ignatium. Sed frustra erant, si à postulatis abesset justitia. *Quam illi repulsam non virtuti , sed superbiæ tribuentes, seque ab Ignatio contemptos rati , cum amicis in Regia Præfectis agebant , ut stipendia differentur, hac ratione Ignatium perdituri.*

*Ignatii ju-
stitia.*

Ac-

Accedebat & ipsorum in Re-
gia Præfectorum invidia & in-
dignatio, non ferentium ho-
minem sua virtute ad illam
pervenisse dignitatem, quam
solis Doctoribus debitam cre-
derent: perinde ac si doctiores
etiam fortiores essent. Erat
enim Ignatius secundi littera-
torum gradus, & lauream Li-
centiati, non Doctoris, obti-
nuerat. Hoc rerum statu, se-
ditione non contenti milites,
ubi proximum amantissimi
Ducis periculum ipsorum cau-
sa infonti jam incumbens ani-
madvertere, ut Provinciam si-
bi occupet, ac regnet, hortan-
tur: imo ut debitum jam pri-
dem tantæ virtuti Imperium
invadat, persuadere conantur;
operam ad omnia fidelissi-
mam spondent; extirpandos
clamat Præfectos, qui priva-
to potius odio explendo, quam
Imperatoris sui promovendo
ob-

obsequio studerent. Sed Ignatius prudentibus monitis militem à majori violentia prohibet, imo obsequentem reddit & quietum, ac pro Sinico Imperatore stare jubet, cui fidem jurasset; autores etiam præcipuos seditionis punit. Merebatur hæc Ignatii fidelitas majorē estimationem eā quam apud Imperatorem, vel summos in Regia Præfectos inventit. Eā enim contemptui habitā, submissō alio Duce ac Prorege, Ignatius in Regiam adesse jubetur. Non ignorabat se tunc temporis ad mortem petti; quod & militibus suspicari facile erat: unde irā frementes pro illo arma sumunt: nullo pacto se Ducem suum optimum deserturos conjurant, & denuo Ignatio suadent ut ad Regiam non accedat: *Nostrum, inquiunt, erit te incolumem conservare; nobis vires sunt, perfidorum*

*Ignatius
maruit
mori quam
regnare.
vel Tarta-
ro servire.*

dorum emulationi & potentiae pares. Ad hæc surdus Ignatius indignantes demulcet, urgetque ut Imperatori suo fidelem semper operam navent. Atque ita maluit ingratum patriæ solum proprio sanguine irrigare, quam inimicorum suorum sanguinem militum viribus propinare, satius ducens in patria subire immeritam necem, quam ad invitantem Tartarum confugere. Non eadem quam plurimis illius exercitus Ductibus ac militibus fides fuit. Ad Regem enim Tartarum defecere, multorum exemplum sequi, quos à Tartaro benè exceptos videbant, non vero Ignatii in fidè constantiam. Horum jam aliqui Tartarorum sunt summi præfecti in Sinico Imperio; aliqui etiam Regulorum obtinuerunt dignitatem, quia fidelem illi contra Sinas operam navarunt, cuneorum instar,

instar, qui in sui generis ligna
facillime penetrant.

Ceterum hoc bellum Tartaricum, quamvis Sinis hactenus magnum fecisset negotium, deinceps tamen quasi sospitum elanguit: ita ut Sinas à majoris damni metu securos redderet. Occidentalis enim Leaotung pars undequaque valide munita erat, & ingens in confiniis contra Tartaros exercitus stabat, qui insulam Cu occupans, ulteriorem ingressum intercludebat Tartaris, qai Orientalem occupabant partem. Maximum itaque periculum à perduellibus ac latronibus intra ipsum fuit Imperium; à quibus demum destru-
Totissima
perdendi
Sinici Imperii causa
Latrones.

ctum est, ac Tartaris traditum. Supra jam horum motus attigit deinceps fusiū de illis agendum, ut quo pacto Tartari Imperiū occuparint, intelligatur.

Primi perduelles insurrexerunt Latrones
varii.

runt in Suchuen Provincia, quorum tam prospera fuit fortuna atque audacia, ut post direptas multas civitates, demum & Metropolim ipsam Chingtu obsiderent; de qua & actum fuisset, nisi Amazon illa Sinensis supra memorata cum suis subvenisset. Ejus igitur fortitudine inde cum clade expulsi, sed non omnino deleti montes repetivere, novas perditionum hominum turbas congregantes. Hos secuti sunt alii in Queicheu Provincia, qui oblatam injustam sententiam in lite duorum Dynastarum, insurrexerunt, duce usi, qui causa ceciderat, Magistrate; ac primo impetu Praefectos injustæ sententiæ autores occiderunt, & Pro-regis exercitum fuderunt. Verum reparato mox exercitu, ab eodem superati, sed non extinci sunt.

Fames La-
ttones au-
get,

Sub hæc urgente fame, quæ in-

ingens eo tempore in Boreali
Sinarum parte per inauditam
locutiarum plagam fuit, quam-
plurima alia latronum capita
exorta sunt, præcipue in Xensi
Provincia ac Xantung. Hi pri-
mo, numero pauci ac viribus,
prædas per pagos & oppida
agebant; inde montes peten-
tes in iis latitabant; cumque
tam facili negotio sine ullo la-
bore non modo cibos, sed &
divitias raperent, quampluri-
mi continuo aggregabantur.
Huic seditioni magnum incre-
mentum addidit Imperatoris
Zungchinii insignis avaritia, *Et avaritia*
qui à populis tributa omnia ex-*Imperato-*
ris.
torquebat, perinde ut anno fe-
lici rebusque florentibus. Hi
ergo cum à Præfectis reprimi
cito non possent, paulatim nu-
mero ac animis aucti, in octo
per varias Provincias creverunt
justos exercitus. Ab his ut
quisque manu audaciâque
prom-

promptissimus habebatur, in
^{Latrones} Ducem eligitur; & mox acta
^{Duces eva-} dunt, ac ad jam latronis persona, armis ac
^{Imperium}
^{aspirant.} divitiis fortis, jam ad ipsum
 aspirant Imperium. Ac pri-
 mo quidem, ut quisque alteri
 præriperet quod ipse optabat,
 inter se pugnarunt: demum
 res eo devenit, ut duo tantum
 Duces præcipui superessent,
 qui reliquorum milites, post
 victorias, extinctis eorum Du-
 cibus, ad sua sequenda vexilla
 ac fortunam invitarunt. Illi
 vero cum minime dubium ex-
 pectarent supplicium, si quo
 casu à Sinicis Præfectis exci-
 perentur, facile victorem se-
 quebantur. Primus inter hos
^{Latronum}
^{principia}
^{capita.} latronum Duces Licungzus
 dictus est, secundus Changhi-
 enhungus; uterque facinori-
 bus editis & ferocia insolens;
 qui, ne alter ab altero tam-
 quam æmulo deleretur, lon-
 gius invicem discesserunt, for-
 tunam

nam quisque suam fecuturi.
Licungzus Boreales Xensi
Provinciæ ac Honan partes
tenuit; alter Suchuen, & Hu-
quang divexabat. Verum ne
si de utroque mixtim aga-
mus confundatur narratio, Li-
cungzo priorem locum dabi-
mus: qui potissime in causa
fuit, cur Tartari Imperium
illud occupaverint; quod ip-
se jam tenebat, si moderationi
clementiam adjunxisset. Sub-
sequentur deinceps res ab al-
tero gestæ.

Anno itaque M. D C. X L I.
Latrones ex Provincia Xensi
(ubi quamplurimas civita-
tes ac oppida expilaverant)
ingenti numero in amoenissi-
mam Honan Provinciam ir-
rumpunt, & recta nobilissi-
mam metropolim, C'aifung
dictam, petunt ac obsident. Il-
lam ingens defendebat præ-
sidium; unde tormentorum

*Latrones
Provincias
Xensi &
Honan ve-
xant.*

D curu-

*C'aifung
nobilitissima
urbs obside-
tur.*

curulum s̄eviente in eos procella , cum clade obsidionem deserere coacti sunt. Inde populabundi circumvicinas invadunt civitates ac urbes , & quamplurimas diripiunt. Ita viribus aucti , annonā quamplurimā , ac perditis hominibus congregatis , iterum metropolitanam petunt ; quam cum desperarent vi aut assulti bus occupari posse , longa obsidione ad ditionem cogere statuunt , ut ditissimis opulentissimæ urbis spoliis augerentur. Urbs hæc tametsi trium ferè leucarum ambitum habet , undequaque tamen cingunt , ut nihil urbem invehiri posset. Præfecti per duos menses , quibus alio latrones diverterant , quamplurimam quidem annonam congregaverunt ; sed quod tota Provincia frugum alioquin abundantissima , earum inopiam à sterilitate

te pateretur, non fuit tanta annonæ copia, quanta sex mensibus infinitæ populi multititudini alendæ sufficeret. Sex ergo menses tenuit hæc obsidio pertinacissimas & quamvis ad summas angustias famis præsidarii pervenissent, numquam tamen cum hoste pacisci voluerunt, auxilium ab Imperatoris exercitu sperantes. Calamitatis magnitudo excessit modum, & Jerosolymitanæ similis, si non maior, videri potuit. Orizæ libra, argenti libra vendebatur; corii antiqui putridi libra, decem argenteis: cadaveris humani caro publicè tamquam porcina prostabat: mortuos in plateis expondere, ut illorum essent cibi qui mox aliorum futuri erant, pie-tas putabatur. Reliqua dirissima taceo. Urbs in planicie sita est ad Australem partem ingentis ac præcipitis fluminis,

*Inaudita
fames.*

quod Hoang Sinæ vocant,
 nos Croceum vel luteum dici-
 mus, à colore luteo, quo sem-
 per turbidum fluit: una fere
 leuca distat hoc flumen ab
 urbe; cumque ejus aquæ ur-
 bis planicie altiores sint, ejus-
 dem littora aggere longissimo
 ex quadratis lapidibus muni-
 nuntur, ne superfundat se urbi.
 Ad hos aggeres tandem Im-
 peratoris exercitus venit, ratus
 fine pugna hostes omnino de-
 leri posse aquis, si aggeres dis-
 solveret. Ac suspicio aberat
 aquas ad tantam altitudinem
 perventuras, ut altissima ur-
 bis mœnia superarent. Forte
Caisung
urbs aquis
mergitur. per id tempus Autumni cre-
 briores solito pluviae fuere,
 quibus sic flumen intumuit, ut
 majores volvens undas ruptis
 latius quam pro necessitate ag-
 geribus non modo quampluri-
 mos hostium ruina involverit,
 sed & amicam urbem totam
 sub-





submerserit, plus quam trecen-
tis hominum millibus aqua hau-
stis. Ita nobilissima urbs, quæ
jam antiquis temporibus Im-
peratorum sedes fuerat, non
campus, sed lacus quidam re-
pente fuit: domus omnes unda-
rum vi non modo tectæ, sed &
omnino dirutæ sunt. Cum il-
lis periit & Templum, & Sa-
cerdos Societatis nostræ R. P.
Robertus de Figueredo ibi-
dem submersus: qui cum matu-
re se periculo posset subduce-
re, maluit animam suam pro
ovibus suis ponere; non raros
enim Christianos urbs habebat.
Contigit hujus urbis excidium
nona Octobris M. D C. X L I I .

Eodem tempore latronum *Dux latro-*
Dux Licungzus Regis titu- *num Regis*
lum assumpsit, dictus Xun- *titulum as-*
vang, quod prosperum Regem *Xun-*
sonat; & mox iterum Xensi *Xensi Pro-*
Provinciam invasit, ac totam *Vincia oc-*
occupavit, postquam Honan *cupatur.*

ferè totam in suam redegisset
potestatem. Ubi ad Xensi Pro-
vinciæ Metropolim Sigan ve-
nit, à præsidio quidem aliquan-
tis per repugnatum est: post
trium tamen dierum obsidio-
nem urbs intercepta est: toti-
dem dierum spatium militi-
bus ad prædam concessum in
victoriæ præmium. Intra ean-
dem deinde urbem totius ferè
Provinciæ annonam collegit,
tum ut populos in officio con-
tineret, tum ut Imperatoris
militibus vastitatem objiceret.

*Latronum
Dux Im-
peratoris
Sinarum
nomen as-
sumit.*

De Imperio quoque velut ob-
tinendo jam securus, titulum
Imperatoris assumpsit, & fa-
miliam quam fundare medita-
batur, Thienxunam dixit.
Thienxun Cælo obedientem
sonat: quo titulo populis ac
militibus suis persuadere co-
nabatur, Cæli esse voluntatem
ut imperaret, atque à Cælo
Imperium sibi tradi, ut popu-
los

los ab Imperatoris avaritia li-
beraret, & Præfectos sui stu-
diosos, populoque graves ex-
tirparet. Speciosus titulus, cui
Sinæ facile arrident: à Cælo
namque dari Imperia credunt;
nec humanis artibus aut vi oc-
cupari debere existimant. Post ^{Bonum la-}
^{tronis regi-}
^{mæn.} hæc, ut factis præ se ferret
quod titulo ostentabat, ple-
bem perbelle tractare cœpit,
nullam suis violentiam per-
mittere, Præfectos solos quot-
quot assequi poterat, neci tra-
dere, Ex præfectos pro modo
divitiarum quas collegerant,
pecunia multare, subjugatis
populis tributa remittere, no-
vos Præfectos urbibus ac civi-
tatibus occupatis assignare,
denique ut subditos comiter
ac magna tractent æquitate
severè præcipere. Ita facilli-
mo negotio occupatas regio-
nes subditas habuit, novum re-
giminis modum omnibus lau-

dantibus atque amantibus: alias enim parva est fidelitatis cura, ubi extorta obsequia tyrannis imperat. Duo Patres nostri versabantur hac in urbe R. P. Ignatius d'Acosta, & R. P. Petrus Fabri, quos initio quidem, cum milites Metropolim diriperent, perstrinxit communis clades: demum pro exteris cogniti, tamquam hospites bene sunt habiti.

*Alia perdendi Sine-
ci Imperii causa, Pra-
fectorum discordia.*

Interea in Regia tertia ac potissima perdendi Imperii causa excrevit, cuius initia jam tum Imperatore Thienkio pulularunt, Praefectorum dissidia, factiones, ac æmulatio ob nimiam Eunicho Gueio concessam potentiam; quem non modo ad summos honores evexerat Thienkius, Imperii universo plenoque regimine illi concessos; sed & Patris titulo honorabat. Hic ergo gratia abutens, summos etiam Praefec-
tos

ctos levissima de causa vel ne-
cabat , vel in ordinem redige-
bat ; præcipue illos , qui vel
scriptis , vel verbis , vel minori
exhibito honore Eunicho non
adulabantur , vilissimo homini
subesse dèdignantes . Et quam-
vis alioquin satis benè Rempu-
blicam administrasset , multos
tamen exasperavit ; atque inter
eos , etiam Principem , qui post
Thienkium sine sobole extin-
ctum Imperator fuit Zungchi-
nius ; cui in adeundo Impe-
rio Eunuchus quidem obstitit ,
sed irrito & infelice conatu .
Hinc Præfeti in binas (ut ipsi
vocant) Academias divisi , pau-
latim se extulere , rei propriæ
magis quam publicæ intenti .
Ceterum dum quælibet ex par-
tibus aliam opprimere ac extir-
pare conatur , utraque bonum
Imperii publicum præten-
dens , illud ipsum neglige-
bat ; partiarios tantum suos ex-

D 5 tol-

tollere , aut rebus præficere ,
invida æmulatione tentabat : &
cum huic potentissimo malo
mederi vellet Zungchinius
ipse Imperator , non paucos ex
præcipuis Præfectis ac Eunu-
chis exasperavit . Ubi enim
Imperium assumpsit , supra
modum in Eunuchi fautores
sæviit , & Eunuchum tandem
ipsum cum pluribus aliis ei-
dem factio니 illigatis de me-
dio sustulit , mirabili planè tra-
gœdiâ , cuius hæc est catastro-
phe . Zungchinius , ut Eunu-
chum pessum daret , atque ab
Imperii gubernaculis amove-
ret , dedit illi mandatum , in
speciem honorificum , ut mag-
nifica Imperatorum ac paren-
tum suorum sepulchra viseret ,
inspecturus num aliquid ope-
ris ornamento deesset . Non
potuit Eunuchus tam splendi-
dum Imperium detrectare :
sed brevi didicit , quo consilio
ad





ad sepulchra visitanda mitte-
retur. Cum enim aliquousque
progressus esset in itinere, ob-
lata est ei capsula inaurata; fu-
nem byssinum continens, quo
seipsum, mandato Imperato-
ris, suspendere debuit; quod
genus mortis apud Sinas maxi-
mè censetur gloriosum. Inde
factum est, ut ex utraque fa-
ctione plurimi Imperatorem
prodiderint, qui cum latroni-
bus secreta habebant consilia.
Hinc vel nulli mittebantur ex-
ercitus, vel nihil magni effi-
ciebant, ab æmulis turbati ac
impediti: imo sæpè, cum pos-
sent rem benè gerere, occasio-
nem dimittebant, ne Magistra-
tibus, quorum Duces æmuli
erant, meritum aut gratiam
apud Imperatorem victoriis
conciliarent, quasi eorum du-
ctu & consilio hostes vicissent.
Quæ dissensiones tam oppor-
tunè acciderunt latronibus, ut

ad ipsam Regiam accedenti-
bus, idem fuerit venisse , vidis-
se, ac viciſſe: quod jam narrare
aggredior.

Latrones

*Xansi Pro-
vinciam oc-
cupant.*

Cum hæc agerentur in Re-
gia , Licungzus latronum du-
ctor , stabilitis in Xensi Pro-
vincia rebus , Ortum petit Cro-
ceum flavium nullo defenden-
te tam facile superat , quam fa-
cile à parva manu impediri
transitus potuisset: fluit enim il-
le magna aquarum mole ac
violentia , mediis inter Xensi
& Xansi Provincias ; illam ad
Occasum , hanc ad Ortum ha-
bens: sed cum nemo obsisteret,
superato fluvio facile quoque
priam civitatem ditissimam
Kiangchen occupavit , quæ
in Australiori jacet Provin-
ciæ parte , Croceo vicina . Est
etiamnum illa in urbe super-
stes R. P. Michaël Trigau-
tius è Societate JESV , viri illius
Apostolici P. Nicolai Trigautii
nepos-

nepos. Exinde eodem fortunæ cursu civitates reliquæ ultro se Licungzi potestati dediderunt, vel ut se à majoribus molestiis liberarent, vel novum regimen inconsulte amplexantes. Sæpe enim in nostram perniciem novitatibus ac mutationibus gaudemus, & veteribus meliora sperantes, deteriora invenimus. Sola Metropolitana urbs Taiyen aliquot diebus vim experiri voluit: sed ipsa quoque occupata, ingentes moræ poenas dedit. Præfecti omnes necati, ac novi à latronibus substituti sunt. Zungchinius Imperator, ubi audivit latrones jam Croceum superasse, & Xansi Provinciæ, Regiæ confini, imminere, ingentem per Colaum, summum scilicet Præfectum, exercitum misit, qui latronem detineret saltem, si debellare non posset. Nihil tantus egit

D 7 exer-

*Imperator
Sinicus
turbatur.*

exercitus, & maxima quoque militum pars ad latrones defecit: Præfectus ipse, qui Colaus Lius dicebatur, rebus des�ratis sibi ipsi laqueo vitam admittit. His auditis, cogitabat Imperator Borealem Peking Regiam relinquere, & Nanking Australem petere: sed ut maneret, tum à fidis, tum à perfidis persuasum est: ab his quidem ut facilius, antequam eorum paterent proditiones, latroni Imperatorem tradarent; ab illis, bono ut putabant consilio: nam fungere erat Imperium magis turbare: sperabant enim Regiam, ingenti præsidio munitam, defendi posse; & ob Imperatoris præsentiam reliquias omnes Provincias ad defensionem advolaturas non dubitabant. Bonum videri poterat horum consilium, si Regia proditoribus caruisset.

In-

Interea latronum Ductor *Latronum*
(quia non minus ingenio *strategi-*
quam manu promptus erat) *ma.*
vulpinam pellem leoninæ af-
suens, ex suis militibus quam-
plurimos mutato habitu in
Regiam paulatim intromittit,
datâ pecuniâ ut mercaturam
in eâ latitantes exercearent;
conductisque tabernis, caupo-
nes, aut minorum rerum mer-
catores esse jubet, donec ad
mœnia cum toto exercitu ad-
veniret; tunc vero ut intra ur-
bem tumultus excitent impe-
rat. Mirum fuit horum silen-
tium, quodque inter perditif-
simos infimæ fortis homines
sperari vix potuisset. Huic ve-
lut cuniculo intra Regiam pa-
rato, alium superaddit, se-
cretum videlicet commercium
cum summo Militaris Tribu-
nalis Præfecto; qui cum Im-
peratoris rem perditam esse
animadverteret, ut rebus suis
cave-

*Capitul⁹
Regia Pe-
king.*

caveret, cum latrone de urbe tradenda convenisse dicitur. Utut fuit, latrones celeri itinere Regiam Peking petunt. Ingens præsidium urbem defendebat, & curulum tormentorum magna vis pro mœnibus stabat disposita: verum illa parte, quam perduellibus admoniti latrones impetum faciebant, solo pulvere, nullo globo imposito, explodebantur. Unde hac parte securi, mense Aprili M. D C. X L I V. antequam luceceret, per apertam ultro à consciis portam ingrediuntur. A fidis quoque non diu pugnatum præsidiariis. Nam intra mœnia haetenus latitantes latronis milites, ac confederati perduelles, tumultus excitarunt ex condicō. Hinc ingens orta confusio, cum nemo sciret cum quo rem haberet; & non minor undique confusa strages. Inde Licungzus per

con-

confusam illam Babylonem
victor transiens , recta pala-
tium Imperatoris petit , ac
nequicquam fidioribus Eunu-
chis vim repellentibus , ipsum
occupat. Jam hostes , quod
mirum , primum palatii mu-
rum tenebant , & Imperator
omnium adhuc periculorum
inscius vivebat. Perduelles
enim Eunuchi , qui majoris e-
rant auctoritatis , data opera ad-
monere differebant , ne forte
effugeret formidantes : at ubi
fugæ spem nullam vident , tunc
Imperator admonetur de ur-
be ac palatio jam occupato.
Qui sic admonitus , interroga-
vit primo , num hostium manus
evadere fuga posset : verum
intelle&t; omnia itinera esse
interclusa , epistolam pro-
prio , ut ferunt , sanguine
scripsit , in qua Præfectos de
perduellione , sed sero cog-
nita , increpabat ; subditos in-
noxios

*Imperator
obtruncata
filia, seip-
sum su-
spendit.*

noxios proclamabat ; à Li-
cungzo petebat, ut , quando-
quidem Cælo dante Imperium
occupasset , pro se de illis ul-
tionem acciperet. Postea arre-
pto gladio filiam nubilem ob-
truncat , ne latroni in ludibri-
um cederet : mox pomarium
ingressus, de arbore pruno , ex
vitta qua caligas alligabat la-
queo facto se suspendit infeli-
cissimus Imperator , qui & ult-
timus censetur Taimingæ Fa-
miliæ. Nam licet alii deinde
electi sint (ut infra sum narra-
turus) quia tamen partem tan-
tum Imperii habebant , inter
Imperatores non numeran-
tur: atque ita Familia , quæ à
latrone inchoata fuit, à latrone
extincta est. Tam vilis arbor ,
& vilissimus laqueus, tanti Im-
perii , tot deliciis & divitiis
cumulati, ac vitæ ipsius regalis
filum abrupit. Ad ejus exem-
plum summus Præfectus, qui
Colaus





Colaus dicitur , ibidem resti cervicem implicuit: idem Reginæ, idem aliquorum præterea ex fidissimis Eunuchorum exitus fuit. Ita arbores illæ amœnæ , sub quibus sæpiissime genio ac deliciis indulserant, velut in funestissimas cupressos mutatæ sunt. Sed non minus in urbe ipsa quam intra palatium quamplurimi in seippos sævierunt ; alii in lacus infilentes , alii laqueo voluntariam sibi mortem inferentes, gentis more : nam cum Imperatore suo mori , ne alteri inimico subesse cogantur , vel ab illo occidantur, summum credunt fidelitatis decus. Quid autem jam magnum , quid stabile mortalibus videbitur , quando tantis opibus viribusque exaggerata felicitas tristi momento in nihilum recidit, nullo alio quam in spectantium aut audientium lacrymis reliquo vestigio?

Li-

*Latronis
sævitia, ac
crudelitas.* Licungzus interim victor pa-
latium ingreditur, & Imperiale
solium occupat, inque eo con-
fidet. Memorant prima sessio-
ne eum inquietissimè se habuif-
fe, ac plane titubasse. Omnino
videbatur solium ipsum non
diu duraturam tyranni felici-
tatem prænuntiare, & tam-
quam indignum excutere vel-
le. Altera die Imperatoris ca-
daver in minutissimas partes
concidi jubet, adjecto probro,
quod in subditos pessime juxta
ac crudelissime consuluisse;
perinde quasi ipse, nefarius la-
tro ac perduellis, tot jam con-
trucidatis mortalibus, tot regio-
nibus fœdeissime vastatis nulla
noxa contactus esset. Ita ple-
rumque in aliis damnat impro-
bitas quod ipsa committit, &
aliorum mala, etiam mini-
ma, amplificans, cæcutit in
suis. Susceperat Imperator
Zungchinius tres mares filios:
unus

unus ætate major numquam
inventus est , licet à latrone
diligenter ac diu conquisitus.
Hinc alii fuga elapsum , alii
intra lacum voluntaria mor-
te periisse scribunt. Minores
duo , adhuc pueruli , in latro-
nis manus vivi pervenere , quos
tertia exinde die extra urbis
mœnia abreptos immani cru-
delitate capitibus plecti jubet.
Sed innoxio sanguine satiari
hæc bellua non potest; ac mox
in apertum erupit atrox indo-
les, cui hactenus ad dementan-
dos clementiæ simulatione po-
pulos speciem benignitatis ob-
duxerat. In urbe itaque omnes
Præfectos conqueriri jubet ; in-
gentem numerum exquisitis
tormentis enecat , alias maxi-
ma pecuniæ vi mulctat : pala-
tium Imperatoris sibi servat :
urbem nobilissimam ac ditissi-
mam militibus ad prædam con-
cedit , ubi nullum sævitiæ , nul-
lum

lum violentiæ genus à latronibus prætermissum : quæ ut re ferre longum , ita recordari molestum fuerit. Atque hac tam barbara immanitate Imperium , quod felicissime occupat , ac comitate servare potuisset, merito perdidit.

Inter alios quos cepit Præfetos, senex fuit , Us dictus , cuius filius Usangueius contra Tartaros in continibus Leotung excubabat, t otius exercitus Siniti sumimam exercens Præfecturam. Huic ergo crudelissimam mortem minitatur Licungzus, nisi filium in suum obsequium cum toto exercitu jurare vi paternæ obedientiæ cogat. Ea apud Sinas sacrosancta habetur: deinde omnia magna patri ac filio promittit. Bonus ergo senex hanc ad filium epistolam dedit : *Solum Calum ac fatum, has quas viderimus afferre possunt mutationes.*

Scias

Scias fili, Zungchinium Imperatorem, ac Imperium periisse Tainingæ Familiae: Licungzo illud Cælum dedit. Tempori cedendum est, & necessitas in virtutem mutanda, ut ejus tyrannidem evitemus, ac crudelissimum mortem; liberalitatem vero experiamus. Regalem tibi promittit Dignitatem, si cum tuis eum agnoscas Imperatorem. Ex tua responsione via mea pendet: quid illi debeas, qui tibi vitam dedit, considera.

Usangueius filius brevissimis verbis tale dedit responsum. *Qui Imperatori suo fidus non est, mihi quoque non erit mi pater: & si tu ipse deliram Imperatori tuo fidelitatem oblitus es, me nemo reprehendet, si debitam tali patri obedientium obliviscar. Mori malo, quam latroni servire.* Missâ hac epistola statim ad Tartarum Regem Legatum mittit: rogat ut sibi auxi-

Tartari
contra la-
trones invi-
tati.

auxilio fit contra Sinici Imperii latronem; byssi, sericorum pannorum, auri, argenti ingentem vim, & certum puellarum numerum promittit, quas præcipue Tartari expetunt, quod illis careant, maribus vero abundant. Rex Tartarus hanc bene rem suam agendi non negligit occasionem: eodem die cum octoginta millibus, quæ in præsidiis Leaotung expedita erant, adest, & Usangueium ita affatur: *Vt nostra certa sit victoria, suadeo, ut tuos milites Tartarica veste ac pileo, scissisque capillis uti jubeas; ita fiet ut latro nos omnes Tartaros credat:* majora enim auxilia ex Regno meo advocare tam cito non possum. Usangueius nihil non admittit vindictæ cupidus, ignorans, ut Sinæ dicunt, se tygrides intra Imperium admittere, ut canes ejiceret. Licungzus Tartaros advenisse audiens cum

cum Usangueio , & resistere non audens , ut facile Regiam occupavit , ita velocissimè deseruit. Palatii ergo divitias compilat , ac Xenfi Provinciam petit , ubi Regiam sedem fixit in nobilissima Sigan urbe , quæ olim sæpe Imperatorum fuit sedes. Narrat fama , octo *Palatii di-
vitiae aufe-
runtur.* ipsos dies per quatuor palatii Portas , currus , equos , camelos ac baiulos continuo exivisse , nihil nisi pretio eximum exportantes , plurimis per festinationem in eo relictis. Ita ingentes auri , argenti ac pretiosarum rerum thesauri , per ducentos octoginta annos , à Taimingæ Familiæ Imperatoribus sexdecim , ac per otium congregatae , brevissimo tempore dispersæ sunt. Verum quamvis magna recederet velocitate latro Tar tarorum equos vix ipse effugit ; qui ingentem gazam , ac impedimenta , necnon & ultimum

E illius

illius agmen infecuti per multos dies tandem occupant. Croceum porro fluvium superare vel noluerunt, vel neglexerunt, ut sic paventes ac confusas Peking terras facilius occuparent. Revertuntur ergo Tartari victores ac divites, & Peking urbem ingrediuntur, à Sinis admissi; quæ res una universum illis Imperium dedit. Ubi notandum illud rarum in Tartara gente, quod nec Rege suo ad primum in Sinas ingressum extincto, hujus belli expeditionem reliquerit. Zungteus enim Tartarorum Rex, dum ex Leaotung Sinas ingreditur, fato functus est; & Imperium, cui tantopere inhiabat, non obtinuit quidem; quamquam suis viam ac modum illud obtinendi aperuit. Moriens sexennem filium successorem declaravit, fratribus imperans, ut pro illo rem strenue gererent; tutelam majo-

Rex Zung-
teus mori-
ens.

majori natu commendavit: quæ ultima imperia summa fide servarunt, ac stupenda, in ambitionis gente, concordia, quam vix sperare in alia possis.

His ita gestis, Usangueius, expulso latrone, jam cogitabat è Taiminga Familia proximum Regulum invitare, ac in Sincum eligere Imperatorem. Promissorum itaque memor, Tartaris gratias ingentes habet; laudataque eorum fortitudine, ac fideli pro Sinico Imperio navata opera, liberaliter promissa præmia offert, & simul roget, ut illis acceptis in Tartariam redire, ac continuam in posterum cum Sinis pacem habere velint, antiquas obliiti injurias, quas jam satis superque ulti fuissent. Huic orationi responsum jam à multo tempore præparaverant Tartari, longe aliud quam Usangueius expectabat machi-

Tartari
intra Sinas
admissi. ex-
ire nolunt.

nantes. Itaque sic Usangueium
affantur: Non dum te ac Imperi-
um Sinicum deserendi tempus
idoneum esse arbitramur, nisi
tibi aliud videatur. Latrones
supersunt plurimi; pauci ex
illis periere: jam in Sigan
Xensi Provinciæ metropoli Im-
perialem sedem Licungzus fi-
xit. Cogitaditissimas ac popu-
losissimas Provincias sub il-
lius adhuc esse potestate. No-
bis discedentibus, pejora Sinis
timenda manent. Nos Tarta-
ros timuit, quos ubi abiisse di-
cicerit, auctis mox viribus
aderit, ac Imperio majores
quam antea turbas inferet: &
nobis fortasse commodum non
erit missis denuo auxiliis for-
tunæ tue labanti succurrere.
Quandoquidem hic præsto su-
mus, nostrum erit latrones om-
nino extinguere, ut pacatum
Regi tuo Imperium tradas. De
promissis præmiis sollicitus ne-

Eorum
astutia ac
dolus.

fis;

sis; cum ea sive in nostra, sive
in tua potestate fuerint, aequo
nobis ruta ac secura sint. Quod
reliquum est suademos, ut tu
cum tuorum parte, ac Tartari-
cis aliquot legionibus, in Li-
cungzum moveas; nos cum re-
liquis copiis Xantung latrones
opprimemus: ita Imperium ex
omni parte pacatum respirebit.
Usangueius vel stratagema
non intellexit, vel quod à po-
tentiore ei opus erat decipi,
dissentire non est ausus.

Antequam autem Tartari
invitati Sinas ingredierentur, in
patriam ac vicina Regna mife-
rant, qui quotquot possent
milites ad Sinicum occupan-
dum Imperium evocarent. Quæ
copiæ cum nondum advenis-
sent, oratione ad benevolentiaæ
speciem blande composita, à
vi tanti per abstinebant. Sed ^{Magna}
cum hæc agerentur, non mo- ^{Tartaro-}
do ex Niuche, & Niulhan Re- ^{rum copiæ}
gnis, ^{Sinas in-}
gredijuntur.

gnis, sed & ex veteri Occidentalⁱ Tartaria, ac ex Yupi Orientali ingens Tartarorum numerus adfuit. Hi postremi ad mare Orientale supra Japoniæ insulas accolunt ; Yupi vero dicuntur à loricis ex piscium pelibus factis , quibus in bello utuntur : quinimo & ex Volgâ non raros in Sinis vidi , quos Tartari Alga-Tartaros vocabant ; & apud illos Moscoviaæ ac Poloniæ notitiam reperi. Hi Orientaliores Tartaros barbarie superant. Hæc auxilia ubi advenere, minimum etiam de mortui Regis sui filium sexen-


*Tartari Si-
nicum Im-
perium oc-
cupant.*


nem adduxerunt. Tum eni^m vero diserte ac palam Imperium suum esse , illoque se poti- ri velle ostenderunt. Sexen-

nem itaque puerum Imperato- rem Sinarum proclamant , qui

*Xunchi co-
ronatur
primus Im-
perator
Tartarus.*

Xunchi dictus est : nova quo- que familia Imperialis Taicing appellata. Sexennis puer, mag- na





na gravitate ac majestate antiquum gentis suæ solium ascen-
dit, ex quo non puerilem, sed
præclaram ad suos habuit con-
cionem in hunc modum: *Non
mea virtus aut felicitas, sed ve-
stra, charissimi fortissimique Pa-
trui, ac reliqui Duces mei, quam
videtis mihi constantiam dedit.*
*Hæc firmitas, qua hoc solium oc-
cupo, ita nobis bonum erit ac re-
bus nostris omen, ut titubatio la-
troni Licungzo præfigium sini-
strum fuit. In iulia videtis occu-
pati Imperii: at fortitudinem
virtutemque vestram tantam esse
intelligo, ut me jam totam possi-
dere Sinam credam, imo Orbis
Imperium, non inchoatum modo,
sed firmum ac stabile. Imperii
divitiae, Regales dignitates, præ-
mium licet impar tanta virtutis
debitum erunt. Modo fortiter
agite. Hæc à sexenni puelo di-
cta admiratio Regiæ totius ex-
cepit: à Cælo fatoque electum*

omnes uno ore & applausu
conclamant. Eadem die Patru-
um natu maximum, tutorem
suum, tamenquam Patrem vene-
ratus est; unde Amahan Tartara
voce dictus est, quæ Patrem
Regem significat; Sinæ Ama-
Amavan-
gusPatruu-
& tutor
Imperato-
ris fidelis-
simus.
vang vocant. Illi ergo totum
bellum regendum commisit; &
huic propriè Tartari Imperi-
um debent: nam non minus
consilio & prudentia, quam
fortitudine ac fidelitate insig-
nis fuit: unde rationibus ac
consiliis prudentissimos quosq;
inter Sinas in admirationem
rapiebat; comitate vero ac ju-
stitia eos dementabat. Pluri-
mum etiam ad hæc omnia con-
tulerunt Sinenses illi Præfecti,
qui, ut ante diximus, iræ Impe-
ratoris se subducentes, ad Tar-
taros configuerant, & patriæ
infidi, modo cives suos verbis
ac exemplo sollicitabant, mo-
do egregia Tartaris consilia
sug-

suggerebant; unde ad summas
à Tartaris Præfecturas admis-
si sunt.

Eadem quoque die ad Usan-
gueium aliquæ Tartarorum
Legiones missæ sunt cum di-
plomatibus, quibus Usangueius
à novo Imperatore Pingsi Rex
creabatur; tributarius tamen
(Pingsi autem, Pacificans Oc-
casum sonat;) Xensi Metropo-
lim pro regia illi sede assignan-
do. Quid hic faceret fidelissi-
mus hactenus Usangueius? Ma-
jora præmia à Sinico Impera-
tore sperare non poterat; Tar-
tari autem jam tanto numero
aderant, ut viribus longe infe-
rior esset. Admisit ergo novam
dignitatem, & Tartarum Impe-
ratorem agnovit: ac ita, qui mo-
Vsanguei
Tartaris
subesse co-
adun.
do pro Sinis, contra latrones
ibat, contra Sinas, ut Tartaris
Provincias subigeret, ire coa-
ctus est. Ut autem erat egregius
Dux, latronem facile ex Xensi

E 5 ex-

expulit, à Tartaris adjutus; ac
in Sigan Metropoli regnavit
haec tenus. Ita honoribus au-
ctum, à militia removerunt,
quem armatum timere potuif-
fent Tartari.

*Quid de
Licungzo
actum, ig-
noratur.*

Quid de Licungzo latrone
actum sit, ignoratur haec tenus.
Tantæ illius vires repente ob-
rutiæ conciderunt. Ab Uſan-
gueio occisus in pugna credi-
tur; quamvis nec vivus nec
mortuus à quoquam mortali-
um agnitus aut repertus fit.
Reliqua Tartarorum pars, ea-
dem facilitate Peking & Xan-
tung Provincias occupavit, ubi
Sinicis militibus ac Ducibus
per suas copias distributis, in
immensem suos statim auxe-
runt exercitus. Universos enim
non in fidem solum, sed etiam
in militiam ad sequenda Tar-
tarica signa recepere; ne devi-
ctos quidem aspernati, dum-
modo Tartarorum more capil-
los.

los ac vestes adhicerent. Quin etiam, ut occupatæ gentes universim hoc facerent, edixerunt sub perduellionis pœna : quod res Tartarorum sæpius turbavit, plus pro capillis dolentibus ac pugnantibus Sinis, quam pro Regione vel Imperatore ; ita ut non raro potius mori, ac capite plecti elegerint, quam in hac re Tartaris obediere : & quamplurima hujus rei exempla proferrem, nisi brevitatis memor essem. Minori itaque quam anni spatio, quatuor ingentes Boreales Provincias in suam redegerunt potestatem, Peking nimirum, Xansi, Xensi, ac Xantung (Leaotung non admunerando) in quibus stylum Politices Sinicæ modumque gubernationis omnino non mutarunt ; imo Sinicis Philosophis, ut antea, regendas urbes ac Provincias concesserunt ; examina Litteratorum

Tartari
varias oc-
cupant Pro-
vincias.

ut antea reliquerunt ; sagaci consilio: nam ita propriis, ac à fe inauguratis hominibus, regimen quasi suis creaturis concedentes, id effecerunt, ut fidelitate omni pro Tartaris starent: solas autem militares Præfecturas, ac Militiæ regimen sibi reservarunt; quamvis ad hujus etiam Præfecturas fideliores Sinas admiserint, & in ipsa quoque urbe Regia eosdem Præfectorum ordines, ac sex summa Tribunalia, prout sub Sinico erant Imperatore, retinuerint; ita tamen, ut partim Tartaris, partim Sinis constent.

Sinicas leges non mutantur.

Interea Australium Provinciarum Præfecti, de periculo Imperatoris admoniti, quam maximas potuerant ex omnibus copias convocarant, & jam Peking versus tendebant, quando de Imperatoris morte ac Urbe Peking occupata, mæstissimum habuerunt nuntium.

Sta-

Statim ergo milites ab itinere
cœpto revocant, & simul na-
ves omnes, quibus annis singu-
lis annonæ ac reliqua necessaria
in Regiam transvehuntur. Pau-
lo post de Tartarorum invasi-
one & occupato per ipsos Im-
perio tristiora audiunt. Tum
temporis ego ipse in urbe Nan-
king eram, ubi ingentem Sina-
rum confusionem ac metū vi-
di; donec tandem resumptis a-
nimis omnes Præfecti ex Tai-
minga familia regem unum in
Imperatorem elegerunt, quem
Hungquangum vocarunt. Hic
ex Provincia Honan advene-
rat, latrones fugiens; erat Van-
liei Imperatoris nepos, Zung-
chinii consobrinus; quem mag-
na coronarunt pompa ac ostentatione, sub eo meliora speran-
tes. Hic quamprimum electus
est, ad Tartaros Legatum misit,
pacem postulans magis quam
petens, & occupatas cunctas

*Hungquāng-
gus in Nan-
king Sina-
rum Impe-
rator coro-
natur.*

Boreales Provincias ultiro illis
Tartari pa-
cem nolunt. offerens. Sed Tartaros non la-
 tuit Australium Præfectorum
 animus : volebant bellum dif-
 ferre , donec res ac vires resu-
 merent: unde responderunt ,
 se ab alio non accipere , quod
 armis jam acquisivissent ; &
 quandoquidem Præfecti Im-
 peratorem elegerant , illum
 porro defenderent; se vero au-
 totum Imperium aut nihil ha-
 bere velle. Hac infecta Lega-
 tione , dum arma parantur u-
 trimque , adest interea Nan-
Zungchinii
filius Nan-
king com-
paret. king adolescens , qui se Zung-
 chinii majorem filium dicebat:
 nec parva hujus rei vera dabat
 signa ; quinimo à multis Eunu-
 chis agnoscebatur. At Hung-
 quangus , regnandi ambitione
 tactus , numquam eum agno-
 cere vel admittere voluit , né
 cederet Imperio : quinimo in
 carcerem detrusit , occidendum
 tamquam impostorem , multis-

Præ-

Præfectis ex adverso frementibus. Res ad seditionem spectabat; & eo tandem deducta est controversia, ut Tartaris occasionem præbuerit intercipiendi Provinciam & urbem Nanking, aliquibus Præfectis non impedientibus, ne dicam instigantibus. Adsunt ergo Tartari in territorio urbis Hoi-gan; Orientale Crocei fluminis littus occupant, mox navibus flumen trajiciunt. Ex alia parte tantus stabant militum Sinarum numerus, ut si vel calceos abjecissent, aggerem fecissent, quem Tartarorum equi vix superassent. Sed nimirum animus in prælio valet, non numerus. Vix Tartari naves conscenderant, quando, velut oves visis lupis, nudore relicto latissimi ac velocissimi fluminis littore, aufugiant Sinae. Tartari fluvio superato, nullo viro hoste, Nanking Provinciam nobis

Res Sinarum turbat.

Sinarum fugia.

nobilissimam ingrediuntur, ac quidquid illius ad Boream Kiang fluminis, Maris filii, jacet, occupant velocissime. Ubi observandum illud in Tartaria militia rarum, quod antequam ad Provinciam aliquam ingrediantur occupandam, præcipuarum urbium ac locorum magis opportunorum Præfectos cum debitissimis præsidii assignatos habeant: unde sine mora, quasi fulmina vix ingrediuntur, quin occupatam, & jam munitam possideant.

*Tangchœu
urbs vim
Tartaro-
rum susti-
net; sed ca-
pta deletur.*
*... etiam
... etiam*
 Una urbs ditissima ac nobilissima Yangcheu vim experta est, ac egregie cum Tartaris pugnavit aliquoties; ubi & Reguli Tartari Filius occisus est. Zuus Colaus, Hungquango Imperatori fidelissimus, illam defendebat cum ingenti militum præsidio; sed tandem Tartaris cedere coacta est: in qua milites omnes

ac cives internecione deleti sunt, domus omnes spoliatae; mox ne fœtida cadavera tabem ac pestem corrupto aëre ingenerarent, omnia supra domos posita cum tota urbe ac suburbii combusta sunt.

Hic Tartarus copias suas auxit, Præfectis reliquarum urbium ac copiarum se subjiciens; quorum plurimi eisdem sub Tartaro obtinuerunt præfecturas ac urbes custodiendas, quas sub Sinico habebant Imperatore; alii etiam ad majora evecti sunt. Hac vero comitate, qua deficientes ad se amplectebatur Tartarus, ac crudelitate quam vim expestantibus urbibus inferebat, illud obtinuit, ut fere omnes illam potius, quam hanc experiri vellent. Ita facile quidquid ultra Maris filium est Boream versus, primum ad ditionem Tartari habere. Hic fluvius ultra milliare

Tartari vanaria loca occupant.

Ger-

Germanicum latus , per medi-
am ferè Sinam ab Occasu in
Ortum fluens , in Borealem ac
Australem eam dividit; imo &
Nanking Provinciam medium
secat , quamvis Nanking Me-
tropolis ac Regia in Australi-
sit littore. Ut ergo illam occu-
parent , fluvius superandus
erat. Quamplurimas itaque
naves colligunt, ut novam Nan-
king Regiam , ac novum pe-
tant Imperatorem. Sinica in-
gens classis in alio littore sta-
bat , sub fortissimo ac fidelissi-
mo Duce Hoangchoango:pu-
gnatum hic utrimque acerri-
mè ; & Hoangchoangus jam
Tartaros à Sinis vinci posse
ostendebat , quando à proprio
Duce sagitta transfixus est, qui
à Tartaris corruptus fuerat in-
gentibus promissis (Thienus
dicebatur , ex Leaotung tertis
oriundus) cuius sagitta rotam
fortunæ Sinicæ fixit, ac Impe-
rium

*Pugna in-
ter Sinas
ac Tarta-
ros.*

*Proditor
rem Sini-
cam perdit.*





rium perdidit. Nec his perdu-
ellis contentus, cum suis in fu-
gam se dedit, & fugiendi mili-
tibus reliquis exemplar fuit ;
atque ita ad Nanking urbem
transiit, & quasi fidelissimus,
Imperatori Hungquango ex
eadem urbe fugienti comitem
se adjunxit. Tartari, superato
fluvio, ubi Imperatorem effu-
gisse audiunt, velocissimè in-
sequuntur ; quos Thienus ad-
esse videns, Hungquangum
capit, ac Tartaris tradit, men-
fe Iunii M. DC. XLV. quem Pe-
king mittentes, ibi pro mœni-
bus arcus chorda strangulant
(quod mortis genus nobile æ-
stimant Tartari) cum nondum
integro anno imperasset. Ea-
dem pœna affectus est juvenis
ille, verusne fuerit an fictus
Zungchinii filius, quem in car-
cere Tartari repererunt. Sed
non hi solum ex Imperiali Fa-
milia Taiminga occisi à Tar-
taris

Hungquan-
gus Tartar-
ris traditur
ac oscidi-
tur.

*Tartari
Hangchen
urbem pe-
tunt.*

taris sunt; verum omnes quotquot ad manum habere potuerunt, undique diligenter conquisiti: atque hic tyrannicus mos est totius Asiae, ubi occupato Regno, omnes Regum consanguinei ab inimicis radicitus extirpantur. Post haec Nanking ingrediuntur, ac reliquas omnes nobilissimae Provinciae urbes pronas ad deditiōnem inveniunt. Inde velocissimo cursu usq; ad urbem Hangcheu, nobilissimam ac ingētem Chekiang Provinciæ Metropolim victores transeunt; diviso tamen exercitu, cuius una pars per Kiang fluvium missa est, ut mediterranea occuparet, Kiangsi, Huquang & Quangtung nimirum, vastissimas Provincias. Præcipui autem Sinarum fugitivi milites, Duces ac Præfecti, ad Hangcheu convenerant; ubi novum e Taiminga Familia Imperatorem eli-

eligere volebant Lovangum Regem, qui Imperialem dignitatem non admisit, solo Regis titulo contentus; fortè ut minus ex alto caderet, ac minus mortem sentiret: illam vero se admissurum dixit, quando milites expulsis Tartaris Regiam unam occupassent; proinde ut fortius quam hactenus agerent. Nondum triduum regnaverat (minori tempore, quam sæpe ii, qui in Siaicis comœdiis Regum personas agere solent) quando Tartari adsunt. Post eorum adventum, milites, qui sub variis Ducibus ad hanc urbem confugerant, pugnare promittunt, si prius debita persolverentur stipendia: volebant scilicet eo tempore, quo maximè videbantur necessarii, tum à Regulo, tum à civibus argentum extorquere, nihil deinceps acturi. Hic vero Lovangus, qui natura vere comis

*Inauditus
Lovangi
Reguli erga
subditos
ac amor.*

ac pius erat, tantæ urbis ruinam non ferens, & populorum sortem miseratus, quantum subditos amaret ostendit; ac tale dedit exemplum, quale Europa numquam audivit. Urbis mœnia scandit; inde Tartarorum Ducem flexis genibus alloquitur; rogat ut urbi ac civibus parcat. *De me, inquit, quod vulnis statuite; pro meis subditis vobis victima ero.* Hæc dicens, ad Tartaros ipse tendit, ac capitur. Fuit hoc illustre maxi-
mi erga subditos amoris testi-
monium: & talis virtus fructu
suo non caruisset, si vel Alex-
andrum aliquem, vel Cæsarem
reperisset. Tum Tartari, ut
urbis mœnia claudantur à ci-
vibus, jubent; ne vel proprii,
vel Sinenses milites eam in-
grederentur: hos vero milites
extra urbem positos undique
insectantur, ac necant; sed
*Muli mi-
lites ha-
riuntur.* multo plures aquæ hauserunt,
quam

quam sagittæ Tartarorum aut acinaces : ad Australem enim urbis portam ingens labitur fluvius ultra leucam latus , cui nomen C'ienthang ; hunc fugiti vi milites superare , omnes confusione ac timore pleni , contendunt : naves plus æquo onerant , dum debito plures conscendunt , ac ita merguntur ; alii ab aliis in flumen projiciuntur : multa sic millia peridere . Expulsis in hunc modum aut necatis militibus , cum naves Tartari non haberent ut fluvium superarent , in urbem regrediuntur , nulla illata vi aut violentia . Ita nobilissima hæc urbs conservata est , cuius pulchritudinem , divitias ac magnitudinem alibi fuse describam , non ut auritus sed oculatus testis ; ex hac enim in Europam transivi , ac in ea tres ipsos annos jam vixeram antea .

*Hangchein
capitur.*

Habet eadem urbs Hangcheu

cheu ad Boream navigabilem
canalem arte factum, per quem
ad Boreales partes patet navi-
gatio: hic solo aggere separa-
tur ab Australi fluvio. Ex hoc
igitur canali Tartari celerrime
quamplurimas naves per ter-
ram aggeris tractas, deducunt
ad fluvium C'ienthang, quibus,
nullo obstante, eumdem trans-
mittunt, ac totius Sinæ pul-
cherrimam urbem Xaoking
facilem ad ditionem repe-
riunt. Hæc urbs magnitudine
quidem multis cedit; sed nito-
re ac munditia omnes facile
superat: in aqua dulci jacet, ac
tota extra ac intra mœnia na-
vigo lustrari potest: plateas
habet latissimas, quadratis la-
pidibus candidis utrimq; stra-
tas, in quarum medio naviga-
biles fossæ aut canales omnes
in utroque littore quadrato la-
pide vestiuntur: pontes quam-
plurimos numerat ex eodem
lapi-

Xaoking
urbs capi-
tur.

lapide , & arcus triumphales non paucos : domus etiam (quod nullibi alibi in Sinis) ex quadrato sunt lapide: nihil denique hac urbe nitidius tota Sina videt. Obtinuerant ergo illam Tartari sine ulla vi: & reliquas Chekiang provinciæ Australes facile quoque ad ultroneam deditioñem pronas habuissent ; verum ubi edixerunt, ut omnes Tartarico more crines abraderent , tunc enim vero milites ac cives arma in Tartaros exacuerunt , pro capillis magis quam pro regione sua solliciti ; pugnaruntque egregiè , ac Tartaros non modo ex urbe ejecerunt , sed ad Cienthang fluvium usque repulerunt: imo eos ad transitum fluvii coegerunt , quamplurimis eorum occisis. Planè si fluvium superassent , Metropolim ac reliqua recuperas- sent : sed utcumque contenti

*Sine capit-
los suos de-
fendunt.*

F fer-

servatis capillis, victoriam non
 ultra promoverunt, in littore
 tantum Australi resistentes, ac
 sese undique munientes. Ita
 integro anno Tartarorum vi-
 etricia arma repressa sunt. Ut
 autem Sinæ caput haberent,
 Lu Regulum ex Taiminga
 Familia in Imperatorem eli-
 gere volebant; qui id non ad-
 misit, sed solum Restauratoris
 Imperii nomen assumpsit. In-
 terea Tartari novas ex Peking
 copias advocarunt, quibus au-
 eti omnem adhibuere cona-
 tum, ut fluvium C'ienthang
 superarent: sed omnia frustra.
 Respirabant ergo lassæ Sina-
 rum res; imo congregatis viri-
 bus maiores victorias promit-
 tebant: sed regnandi libido ac
 æmulatio omnem hanc spem
Duo simul, præscidit. Nam ex Fokien
Reges rem
Sinicam
perdunt
discordia. Provincia milites ac Præfecti
 è Chekiang aufugientes, se-
 cum ex Taiminga Familia Re-
 gu-

gulum Thangum abduxerant.
Hunc ergo in Fokien Provin-
cia, quæ Chekiang confinis est,
in Imperatorem elegerunt.
Hic volebat, ut Lu Regulus
Imperio cederet, eo prætex-
tu, quod paucas obtinuissest ur-
bes, & sanguinis propinquita-
te remotior esset ab Imperato-
ribus quam ipse. Contra vero,
Lu Regulus se primum pro-
clamatum à subditis præten-
debat, & victoriæ fructum o-
stendebat. Ita Tartari, inter
duos litigantes tertii, gavisi
sunt, vel (ut Sinæ dicunt) vo-
lucre ac concha pugnantibus,
piscator qui utramque cepit,
lucrum habuit. Numquam hi
duo Reguli arma conjungere,
aut alter alteri cedere volue-
runt, ut communibus armis
Tartaros reprimerent. Cum
itaque Lu Regulus solas octo
urbes regeret, stipendia tot mi-
litibus necessaria habere non

F 2 poter-

poterat: unde soli defensioni intentus, numquam est ausus fluvium trajicere. Tartari interea, quo pacto fluvium transmittenrent, inquirebant: navibus non audebant; quia Lu Regulus quamplurimas, etiam ex mari advectas, cum tormentis majoribus in promptu habebat: sed anni istius felicitas iis viam aperuit. Forte æstas solito ficcior fuit, & fluvius in Australi parte, prope civitatem Tunglieu, ubi per montes fluit, nec maris æstu augetur, multum profunditatis amiserat: hic Tartari equites transitum repererunt. Nondum viginti fluvium superaverant, nullo obstante (nam ab hac parte, ob montium asperitates, nulli Sinarum milites stabant) quando à rusticis fugientibus admoniti milites Sinæ, omnes aufugerunt. Ipse Lu Regulus Xaoking urbem deseruit; ac terræ non fidens,

Tartari
fluvium su-
perant, &
Xaoking
recuperant.

fidens, naves concedit, Insula
lamque Cheuxan, è Regione
Nimpo urbis petiit; ubi haet-
enus tutus mansit, ac regnat.
Quæ Insula, cum vix habitare-
tur nisi à rusticis & pescatori-
bus, modo in potentissimum
evafit Regnum, quamplurimis
Sinis ad Lu Regulum confu-
gientibus, quasi ad suorum ca-
pillorum asylum. Hic jam Se-
ptuaginta duæ numerantur ci-
vitates: classes multas habet,
quibus haetenus omnem Tar-
tarorum vim elufit, & benè a-
gendi ex ipso Sinarum conti-
nenti aliquam expectat occa-
sionem. Ita Tartari facile Che-
kiang provinciæ reliquas om-
nes urbes ac civitates in suam
redegere potestatem. Una Kin-
hoa urbs, in qua summus præfe-
ctus mihi amicissimus domum
ac sedem habuit, ejusque urbis
erat civis, vim Tartarorum ali-
quot mensibus sustinuit, ipso

*Insula
Cheuxan
in Regnum
evadit.*

Præfecto Duce. Unde Tarta-
ri, ne una urbs aliarum vi-
ctoriam retardaret, in tres partes
copiae diviserunt; una pars per
Khiucheu urbem ac montes,
alia per Vencheu ac littora
maris, Fokien Provinciam pe-
tebat; reliqua, Kinhoa perti-
naciter obsidebat.

*Kinhoa
urbs capi-
tur ac va-
statur.*

Quo tempore ego ab Impe-
ratore Lunguovo missus, Ven-
xui civitatem, urbi Vencheu
subiectam, ingressus sum. Ad-
fuere quam mox Tartari, ac
urbem quidem Vencheu pri-
mo facile impetu occuparunt,
neque multo difficilius illi
subditas civitates. Ego domum
quamdam ampliorem Venxui
civitatis, quæ tota tumultu ac
plurium tum pavore, tum fu-
ga ferrebat, incolebam. Ut
Tartaros adventare inaudii,
supra majorem domus portam
longæ latæque rubræ papyro
hæc inscripta verba exposui:

Hic

*Hic habitat ex magno Occidente
divinae legis Doctor. Similes in-
scriptiones Præfecti, dum iter
faciunt, domibus, ad quas di-
vertere confueverunt, affigere
sunt soliti ; ut qui qualesque
sint omnibus innotescat. Dein-
de ad domus atrium in aula
majori Europæos libros, inter-
que eos majora quædam ac
splendide compacta volumina
exposui, instrumenta quoque
Mathematica quædam, tubos
opticos, specula cautica, alia-
que similia adjeci: demum Dei
Servatoris imaginem in altari
ad hoc erecto felici plane e-
ventu collocavi. Tantum enim
abest, ut ullam à militibus Tar-
taris passus sim injuriam aut
molestiam, ut potius ipsem et
Tartarorum Regulus invita-
tum me liberalissime exceper-
it, rogaveritque, num capilli-
tum ac vestes Sinicas æquo ac
lubenti animo essem mutatu-*

rus. Annuentem me, coram se
tonderi jussit; cumque signifi-
carem ego, rafum hujusmodi
caput Sinicis vestibus haud ad-
modum congruere, suas ipse-
met extraxit ocreas, meque in-
duere voluit, pileolum quoque
suum Tartaricum capiti meo
imposuit, epulo excepit, datis-
que patentibus litteris ad anti-
quam meam stationem, tem-
plumque nostrum ac domum
nobilissimæ urbis Hangcheu
abire permisit. Plurimas ad
Kinhoa acceperunt à fortissi-
mo præfecto clades Tartari,
quia majoribus tormentis assi-
diue in illos sæviebat: unde eos
castra longius figere coëgit.
Denum & illi ex Metropoli
majora tormenta adduxere,
quibus mœnia disjicientes, ur-
bem tandem occuparunt, to-
tamq; ferro ac igne misere va-
starunt. Ipse præfектus, ne in
Tartarorum manus perveni-
ret,

ret, cum tota familia seipsum
combussit, dolio tormentarii
pulveris admovens ignem in-
tra palatium quo habitabat.

Fokien provincia à tribus
provinciis, Quangtung nimi-
rum, Kiangsi, ac Chekiang,
continuis separatur montibus;
per quos ut ingrediaris, trium
dierum iter est asperrium; al-
tissimi undique colles, ac pro-
fundissimæ valles, horridique
calles, famosis græcorum Ther-
mopylis five Tauri jugis aut
difficiliores, aut æquales fortas-
se. Erat facilis defensio, si vel
pauci rustici asperiora occu-
passent loca, aut vias rescissioni-
bus aliquibus impedivissent:
sed Tartarorum metus adeo
Sinarum animos occupaverat,
ut vel equorum aspectum non
ferrent. Nudos ergo à præsidio
montes fugientes relinquunt Si-
næ, quos vel ita vacuos ac non
custoditos summa superarunt

Tartari
Fokien pro-
vinciam oc-
cupant fa-
cillime.

difficultate Tartari, multis curribus ac impedimentis relictis, & pluribus equis præcipitio amissis. Demum facilius totam Provinciam Fokien occuparunt, quam alii potuissent prohibere: vix enim tantum temporis in ea occupanda insumperunt, quantum necessarium est ad eam facile perambulandam. Ipse Imperator, cui nomen Lunguus (quod Draconom Belligerum sonat) qui se quam Draconi similem magis præstitit, aufugiens cum valida militum manu, si numerum spectes. Sed nec sic Tartaros effugit: nam pernicibus equis eū infecuti, sagittis hos fugientes velut ovium greges mactarunt; ipseque Imperator derelictus à suis, inter occisos creditur massisse: numquam enim amplius de eo quidquam auditum est.

Quia ergo tota Provincia ultero fese dedidit, & facilius quam

Lunguus
Imperator
occiditur.

quam ulla alia occupata fuit,
nullibi vim repellentibus Si-
nis, parum passa est à Tartariss;
quinimo pluribus ex ea militi-
bus assumptis, & aucto exerci-
tu, eodem deinceps victoriæ
cursu in Quangtung irrupe-
runt. Illud rarum, pari felici-
tate ac velocitate usum fuisse
alterum Tartarorum Ducem,
cui ut mediterranea subigeret,
mandatum erat. Nam eodem
tempore, per Huquang & Ki-
angsi victor transiēs, in Quang-
tung pervenerat; & primam il-
lius urbem Nanhιung, vim ex-
periri volentem, igne ferroque
delevit. Ita à duplii exercitu
facile subacta est Provincia
Quangtung. Inde vero unus ex-
ercitus ad Peking, dives spoliis,
ac victoriis nobilis, revocatus
est; relicto tamen in singulis ur-
bibus præsidio, & designatis
Imperatoris Tartari nomine
Magistratibus, tam Togatis,
quam Militaribus. F 6 Pru-

Quang-
tung Pro-
vincia in-
vaditur.

Prudentiores, hujus facilitatis causam in occupanda Fokien provincia aliunde conjiciunt; quibus & ego subscribo. Erat tunc temporis in ea famosissimus pyrata Chincbilungus nomine. Hic ex Fokien oriundus, ac vili loco natus, Lusitanis primum Macai, mox Hollandis in Formosa (ita Insulam vocant) ut famulus servivit (Iquon exteri omnes vocabant) omnibus notissimus, Hispanis, ac Hollandis. Non ita multo post pyrata evasit: ubi vero ex parvis initiiis ingentes congregavit classes, ingenio ac manu promptus, ad tantas demum divitias ac vires pervenit, ut Sinicum Imperatorem vel & quaret, vel superaret: nam totius Indiæ mercimonia solus obtinebat, cum Lusitanis Macai, cum Hispanis in Philippinis, cum Hollandis in Formosa ac nova Batavia, cum

*Famosus
pyrata a-
pud Sinas.*

Ja-

Japonibus , nec non reliquis
Regnis, ac Insulis hujus Ocea-
ni Indici ditissima habebat
cominercia. Sinicas merces fo-
lus per suos educebat; Indicas
autem & Europæas , ac argen-
tum reducere solitus. Cum e-
nim ab Imperatore Sinico cri-
minum veniam extorsisset po-
tius quam obtinuisse, ita viri-
bus auctus est , ut jam classes
ter mille navium instrueret.
His non contentus , occultè
Imperio inhiabat : verum quia
probè noverat, nihil se efficere
posse, dum Imperialis Taimin-
ga Familia superesset (nun-
quam enim populus aut præfe-
cti illum admisissent , quinimo
ut perduelli restitissent po-
tius) hac Tartarorum occasio-
ne sperabat illam extinguen-
dam : tum contra Tartaros ,
tamquam Sinarum hostes arma-
pia pro Sina , ac ab omnibus
passim arripienda sumere cogi-
tabat.

tabat. Nec dubium quin eo
prætextu, tanquam Servator
ab omnibus adjutus ac suscep-
tus fuisset. Itaque cum Tarta-
ris secreta habebat consilia, il-
lis favens, ut sibi prodeisset.
Hoc autem tempore, quando
in Fokien irrumpebant, totius
belli Dux à Lunguovo declara-
tus fuerat; omnes exercituum
Duces, illius erant vel fratres,
vel affines; milites omnes il-
lius obsequio addicti. Ab hoc
ergo admitti sunt Tartari: un-
de non mirum, si Provinciam
Fokien ingressi, illum Regis
titulo donarint, Pignan Regem
constituentes (quod Pacificans
Austrum sonat) ac multis aliis
honoribus ornantes, ut facilius
deciperent: fortassis enim illius
mens eos non latuit, vel ex ma-
gna qua pollebat potentia su-
spicabantur quod erat; illum
videlicet aspirare ad summa-
vim tamen contra illum adhi-
bere

Tartari
mira arte
pyram
decipiunt.
ac sapient.

bere ausi non sunt; quinimo toto tempore , quo in Fokien Tartarorum Regulus militum Dux mansit , honorifice eum habuit, munera s̄apē transmittens , ac splendidis excipiens conviviis , eidem insuper Fokien & Quangtung Provincias regendas promittens. Jam ergo se Australium Provinciarum regimen solidum ac stabile obtenturum cogitabat : sed longè aliud accidit. Cum enim Regulus Tartarus ad Peking redire vellet, Sinarumque Præfecti (ut mos est) omnes illum convenient ad valedicendum , ac per aliquod itineris spatium comitarentur ac deducerent ; hoc ultimum urbanitatis officium Iquon five Chinchilungus , sui omnisque adeo periculi securus , etiam præsttit: ita cum paucis, classe in portu Focheu Metropolitanæ relicta, Regulum Tartarorum

rum adiit, ac comitatus est: sed cum valediceret, & jam abundi peteret facultatem, à Regulo invitatus est ut secum ad Imperatorem in Peking iret, ubi majores honores splendidis verbis promittebantur. Multis hoc iter excusavit: sed ire tandem coactus fuit; & hac arte captus est, qui alias armis vix capi potuisset. Etiamnum in Peking arcta detinetur custodia: quia illius filius ac fratres, cum captum audirent, classes repetivere, quibus mare Sinicum infestant hactenus. De quibus infra aliqua dicenda occurrit.

*Vincuntur
Tartari in
Quangsi.*

Alter interea exercitus, qui per mediterranea in Quangtung pervenerat, inde Quangsi provinciam invasit. Sed hic arma, quorum vel nomen Sinis timendum fuit, egregie retusa sunt; & unde minimè cogitabant Tartari, victoriae obicem re-

repererunt. Erat forte Quangsi
provinciae Pro-rex Khiu Tho-
mas, Christianis sacris initia-
tus & summam militum hujus
provinciæ præfecturam Ching
Lucas obtinebat, cuius fami-
lia, jam à quinta progenie, non
minus Imperatori Sinico stren-
ue quam Christo militabat:
Hi ergo quamplurimis mili-
tibus ac Ducibus congregatis,
qui ex aliis provinciis in
Quangsi confugerant, commu-
nibus armis Tartaros vinci pos-
se ostenderunt. Nam postquam
jam Tartari aliqua hujus pro-
vinciæ loca occupassent, il-
los magna strage affectos vice-
runt: imo Quangtung vici-
nam provinciam ingressi, Oc-
cidentalem illius partem recu-
perarunt. Post hęc, ut caput ha-
berent pro quo pugnarent, ac
cuius auspiciis regerentur, re-
liquosque Sinas promptiores
& alacriores ad communem

*Junglieus
fit Sinarum
Imperator.*

patriæ defensionem allicerent, Regulum ex Taiminga Familia, Vanliei Nepotem, qui in Queilin, Quangſi Provinciæ Metropoli sedem habuit, in Imperatorem elegerunt, qui Junglieus dictus est. Hic in Quangtung Provinciæ nobilissima Chatking urbe Imperiam fixit sedem, & hactenus utcumque feliciter contra Tartaros pugnavit. Apud hunc maximus Eunuchus, P'ang Achilleus dictus, Christianus est sacris initiatus, à multo tempore ita Christo serviens, ut nomine ac re semper hactenus se verum Christi cultorem ostenderit; quod ut melius ageret, apud se Patres è nostra Societate habuit: inter quos est R.P. Andreas Xavier (cujus agnomen proprium est Coffler) Austriacus, & R.P. Michael Boym Polonus; quorum opera frequentissimi hic ad





ad Christi ovile accesserunt; inter quos, ipsa Imperatoris Mater, Uxor, ac filius, totius Imperii heres; qui Constanti-
nus dictus est, & cui à bonis omnibus adprecandum, ut (fa-
rente Deo) alter sit Sinarum Imperii heres.
res Christianis facias initia-
Constantinus. Ipse met Imperator à Fide Christiana non abhorret; sed hactenus Baptismum distulit: permisit tamen ut Regina patrem Michaëlem Boym è nostra Societate Legatum, ad præstandam Summo Pontifici obedientiam, allegaret, ut Europa jampridem inaudiit. Deus Opt. Max. eam illi concedat felicitatem, quæ longe lateque in omnes redundet Sinas, ad majorem D E I gloriā.

Non tantum in Quangsi, sed etiam in Fokien, vīsi sunt Sinæ animos resumere. Cum enim Tartarorum exercitus ex ea Provincia ad Peking revocatus

*Latrones
Fokien Pro-
vinciam
turbanti.*

tus esset, vix eo pervenerat, quando ex montibus Fokien provinciæ Vangus quidam idolorum sacrificulus (qui olim militum Dux fuerat) cum multis seditionem excitavit, ac nobilem urbem Kienning, aliasque civitates occupavit, occisis Tartarorum præfidiis. Alii quoque hujus exemplum secuti, ex montibus ubi latitabant eruperunt, & varia loca receperunt. Quinetiam eodem tempore capti Iquon affines ac fratres maria infestabant: unde in terram egressi, partem provinciæ circa Sivencheu & Changcheu suis armis ac milite habuerunt infestam. Erat tum temporis in Chekiang provincia summus Tartarorum præfatus, duarum provinciarū Prorex; qui auditis his motibus eadem nocte, maxima celeritate cum omnibus copiis in Fokien contendit. Timebat non imme-

merito ne montium fauces , ac
difficiliora itinera Sinæ occu-
parent: quod si fecissent , pla-
ne de illa aëtum fuisset provin-
cia. Sed ubi ad montes per-
venit Changus (nomen id Pro-
regi fuit) & à præsidiis vacuos
montes invenit , tum se victo-
rem , ac rebelles per litos pro-
clamavit. Ingressus est ergo ,
nemine reluctante ; & Kien-
ning urbem , in quam se rece-
perat Vangus, obsedit. Tenuit
aliquot menses hæc obsidio :
numquam tamen eam urbem
vi intercipere potuit ; quin po-
tius plurimis suorum amissis ,
judicavit fibi temperandum
esse ab assultibus , & urbem
eminus obsidendam : obtinuit
tamen per id tempus , ne reli-
qui Sinarum Duces cum Van-
go coniungerentur; unde vires
sufficientes habere non potuit
Vangus , quibus extra mœnia
bellum committeret.

Tar-

Changus
Tartaro-
rum Dux
frustra ur-
bem Kien-
ning obji-
det.

*Capitur
tandem, ac
deletur.*

Tartari vero qui erant in Pe-
King, ubi hos audivere motus,
novum exercitum statim sub-
miserunt, ad hanc Provinciam
pacandam. Novorum ergo mi-
litum auxilio, post aliquot
mensium spatium quo urbem
obsederant, tandem magnis
allatis tormentis (quæ baiuli
per asperrimos montes raro
portabant artificio, onera et-
jam maxima longis vectibus
suspensa humeris ferre soliti)
mœnia disjecta sunt, & omnes
intra urbem tum milites, tum
cives, ipsique infantes ad in-
terencionem occisi: trecenta
hominum millia ibi cæsa fuisse
Patres nostri mihi scripsere.
Deinde urbs tota flammis est
tradita. Eo incendio nostrum
hic etiam templum pulcherri-
mum conflagravit. Duo autem
patres è nostra Societate ex
ipsa urbe paulo ante mira Dei
providentia emissi fuerant,

R. P.

R. P. Simon de Cunha Lusitanus, & R. P. Joannes Nicolaus Smogoleski Polonus, tamquam Loth ex Sodoma servati (quod nomen, ob nefandam libidinem, huic urbi maxime convenit.) Intercepta porro & deleta hac urbe, totam hanc provinciam facile iterum subegerunt Tartari: ex Sinis autem, alii montes repetivere, alii maria: atque ita denuo ad Peking novus hic exercitus revocatus est. Observandum enim hoc quoque in Tartarica militia rarum, quod victores exercitus revocent, ac novos submittant ex sua gente, quæ tota omnino belli studiis addicta est; qua in re duo potissimum spectant: Primum quidem, ut ultro citroque militibus per provincias assidue transeuntibus, Sinas timore in officio contineant: Secundum, ut magis egentibus Tartaris militibus

bus provideant: viatores enim multis spoliis ditatos revocant, ut se recreent; quorum exemplo ad fortiter pugnandum magis egentes invitantur, similem fortunam expectantes, optimamque prædam sibi quoque minime defuturam rati.

Ceterum his peractis, res Tartarorum ad maximum per venerunt discrimen, occasione cuiusdam proditionis. Quamvis enim omnem moveant lapidem, ut nullus detur rebellioni locus; quamplurimas tamen experti sunt. Cum enim vastum & ingens sit hoc Sinarum Imperium; ut præsidia debito loco atque ordine collocentur, necesse est Sinas ipsos ad hæc etiam adhibere: soli enim Tartari non sufficerent. Et quamvis hoc diligenter observent, ut numquam ex eadem provincia Duces vel milites in ea relinquant; quamplurimos tamen

*Præsidia
Tartaro-
rum qua-
lia.*

tamen habuere perduelles. Ita autem praesidia distribuunt, ut in qualibet Metropoli sedem figat summus militum Dux, cui omnes reliqui pareant. Hic justum alit exercitum; ac ubi maiores motus audit, opportunè subvenire debet. Quælibet deinde urbs suum habet Ducem cum sufficiente militum numero. In Metropoli maxima ex parte Tartari sunt milites; in aliis urbibus Sinæ fere omnes. Sed cum nullum adeo egregium consilium, aut regimen providum sit quod proditio evertere non possit, nec sui Tartaris defuere proditores. Inter hos, primus à Tartaris defecit summus Dux ^{Dux Kinus} Kinus, qui provinciam Kiangsi ^{à Tartarit} regebat. Erat ille ex Leaotung oriundus. Hujus autem regionis incolis, utpote Tartariæ vicinissimis, maximè

G fidunt

*Inter duos
Tartaro-
rum præfe-
tos odium
Kiangsi
Provinciam
turbat.* fidunt Tartari. Accidit autem (nescio quo casu) ut illi cum totius provinciæ Visitatore, ob hujus avaritiam, suborirentur aliquæ controversiæ & contentiones, quæ paulatim in secreta odia transferunt : & quamvis uterque more Sinarum miro artificio odium dissimularet ac tegeret ; demum tamen in apertam totius provinciæ perniciem erupit. Cum enim eamdem regerent provinciam, ille Militaris, hic Togatus præfectus , sæpè simul convenire debebant, imo & convivia simul celebrabant. Forte protacto diutius convivio (ut moris ibi est) Comœdiam spectabant, in qua personæ Sinicis , non Tartaricis vestibibus, tamquam pulchrioribus utebantur. Tum Kinus ad Visitatorem conversus , *An non hic habitus nostro, inquit, est gravior ac melior ?* Fuere hæc verba

ba ejusmodi, ut de iis Visitator per libellum Imperatorem admonendum judicaret, in quo æmulum Kinum accusabat, quod edictum Tartarorum de mutandis vestibus contemneret, magisque propensum erga Sinicas vestes animum ostenderet.

Habebat Kinus apud Visitatorem muneribus largitionibusque à se corruptum quemdam, qui alteri erat à secretis: is eum de singulis dictis vel scriptis admonebat. Ubi vero hunc libellum missum audiit, per suos statim cursores interceptavit, ac libello lecto, quam primum Visitatoris palatum armatus invadit, ac ipsum trucidat. Deinde cum tota provincia, applaudentibus Sinis, à Tartaris deficit, ac Junglieum Imperatorem agnoscit. Una urbs Cancheu, quæ à fidelissimo Tartaris Duce regebatur,

Multa loca à Tartaris deficiunt.

non paruit Kino; imo, ut videbimus, sola in causa fuit, cur Tartari denuo Kiangsi ac Quangtung provincias recuperarent. Nam & in Quantung provincia summus militum Dux Lihuzus eodem tempore à Tartaris defecerat, ac eam provinciam Junglieo subjecebat; & in Huquang Australiores partes Junglieum quoque admiserant Imperatorem. Lihuzi autem mens ac consilium erat, cum Kino vires conjungere, & unitis viribus Tartaros ejicere ex Imperio. Nec forte victoria consilio defuisse; sed praefectus urbis Cancheu (quæ quatuor provinciarum clavis est) dolo ac arte spem omnem praecidit. Is ubi Lihuzum etiam à Tartaris defecisse, & cum exercitu advenire inaudiit, hanc ad eum epistolam dedit: *Hactenus Kino non paruit, quod illius vires Tartaris*

*Cancheu
urbis Pra-
fectus dicit.*

taris pares non crederem : sed quandoquidem , fortissime Dux , etiam in Tartaros moves , quod amplius ab his sperem non habeo . Tuus sum , & tuarum partium sectator : ubi vel ipse , vel per tuos aderis , hanc urbem iibi tradam . Interea ex vicina Provincia Fokien , quanta potest à Præfectis Tartaricis auxilia poscit , quæ quam potest occulte in urbem intromittit . Adebat ergo Lihuzus , & urbis portas apertas reperit : sed dum quasi de tota re securus cœpit ingredi , ab undique insurgentibus Tartaris invaditur , ac magna vi repellitur . Inopinatus iste casus perculit ejus milites ; magna que affecti sunt strage : ipse quoque extinctus dicitur ; nam de eo nil amplius auditum est .

Hæc res maxime Jungliei Imperatoris negotia ac spes

G 3 tur-

turbavit. Sed Kinus interea non paucas de Tartaris victorias obtinet. Cum enim sum-
Kinus Tar-
tarus vicit. mus Australium provinciarum præfектus, qui in Nanking urbe sedem habebat, quantas potuit copias repente collegisset, ut Kinum oppimeret; cæsus tamen ac fugatus est aliquoties. Et si quidem hic Kinus vi-
ctoriarum cursum promover-
potuisset, ad ipsam usque Nan-
king urbem viator penetrasset;
sed propter urbem Cancheu
merito sollicitus, regredi coa-
ctus est: quia à tergo hostem
relinquere tutum illi non erat,
cum nec annonam, nec reliqua
necessaria à Junglieo habere
posset, nisi per urbem Cancheu,
prono flumine. Quare ubi de
Lihuzi casu inaudiit, cum om-
nibus suis copiis ad Cancheu
urbem se contulit, eamque ob-
sedit. Verum dum hæc obsidio
moras trahit, ex Regia Peking
novus

novus adfuit Tartarorum exercitus, cui mandatum erat, ut Kiangsi provinciam recuperaret. Unde Kinus, relicta obsidione, ad Borealia provinciæ confinjæ custodienda se recepit, Tartaris ingressum prohibiturus. Et primo quidem satis feliciter ac fortiter pugnavit: ingentem enim habebat exercitum Tartaricis armis assuetum ac pugnis; sed irruentium impetum sustinere diutius non valens, coactus est tandem retrocedere, ac Metropolim Nanchang ingredi ad securitatem: quam tamen urbem Tartari violento marte invadere non ausi, longa obsidione ad ditionem cogere statuunt. Convocatis ergo undique rusticis Sinis, & ad opus adactis, tantum effecit, ut latissimam fossam per ingens spatium circa urbem ducerent quacunque per terram patebat iter;

*Kinus Tar-
taris ob-
detur.*

in fluminibus vero classes dis-
posuerunt, omnem sic urbi an-
nonam interclusuri. Est urbs
Nanchang ampla, & incolis
frequentissima, quam ingens
tum temporis militum multi-
tudo propugnabat: unde, licet
quantam potuit Kinus anno-
nam collegisset, post aliquot ta-
men obsidionis menses ad suim-
mas angustias redactus est.
Quamplurimi jam fame mori-
ebantur, & tamen ditionem
differebant, à Iunglieo auxi-
lia sperantes. Sed & Cancheu
urbs, numquam à Quangtung
militibus subigi potuit. In quo
rerum articulo, summa victus
inopia pressus Kinus, sic suos
est allocutus: *Nulla nobis, com-*
militones, spes restat, nisi in
manu & animis. Vbi nobis per
Tartaros aperienda est via: for-
titer agite, meum secuti exem-
plum. His dictis, & rebus bene
ordinatis, derepente erupit;

*Kinus ex
urbe erum-
pit.*

sum-

summamq; in fōsse transitu difficultatem expertus, demum eam, ne quicquam pugnantibus Tartaris, cum suis superavit, ac pugnando fugæ locum invenit, quamplurimis occisis Tartaris. Kinum vivum evasisse, constans est fama, ac latitare in montibus, cum non contemnendis copiis, & novas bene agendi ibi expectare occasiones.

Ubi ergo evasit, Tartari urbem ingressi eam diripiunt; deinde cives omnes internecione delent. Est enim hoc Tartaris solemne, ut urbibus se tridentibus nil mali inferant; resistentibus autem priusquam in eorum potestatem veniant, duriores sint; sed rebellantibus nullo modo parcant, si vi recipiantur. In hac etiam cæde duo ex nostris Patribus R.P. Tranquillus Graffetti Italus, & R.P. Joseph de Almeida Lusitanus, ac frater Coadjutor Emanuel

*Nanshang
urbs vastatur.*

Gomez Macaensis periēre ,
non quidem intra urbem , sed
in pago à prædantibus militi-
bus occisi ; antiquum quoque
ac pulchrum templum no-
strum conflagravit intra ur-
bem. Post hæc , Tartari totam
Provinciam pronam ad dedi-
tionem naëti , ea omnino pacata , & relictis novis præfidiis ,
reversus est ad Peking victor
exercitus. Interea Peking alii
tres novi parabantur exercitus ,
ad Quangtung , ac reliquas pro-
vincias , Junglieo Sinarum Im-
peratori adhuc subiectas , de-
nuo subigendas , ac melius
conservandas . Cum enim tutor
Imperatoris Tartari , ac reli-
qui Magnates , tot viderent
motus & defectiones Australium
Provincialium ; ut sibi sub-
ditos in officio continerent ,
decreverunt eas concedere
Tartaris Regulis , tributariis
tamen , à quibus regerentur.

Anno

Anno itaque quo hæc agebantur, M. DC. XLIX. tres Reguli missi sunt cum tribus justis exercitibus, qui partim Tartaris, partim Sinis militibus constabant. Unus ex illis provinciæ Fokien Regulus, alius Quangtung, tertius Quangsi constitutus est, ea conditione, ut primum unitis viribus ac armis Quangtung recuperarent, ac Junglieum profligarent. Sed de his infra: nunc ad præcipuas Borealium provinciarum à Tartaris defectiones veniamus.

*Tres Reguli creantur,
ac cum totidem exercitibus contra Iunglieum mittuntur.*

Non minus ad Boream, quam ad Austrum, libertatis amantes Sinæ se sic interim probarunt: ubi Duces quidem à Tartaris victi, sed non capti, secreta de ejiciendis Tartaris agitantes consilia, & hi provinciarum tutiora ac secretiora loca incolentes, quotquot poterant milites congregarunt.

G 6 Tres

Tres ex illis in Xensi provin-
ciæ densissimis montibus vag-
bantur: primus, Hous diceba-
tur. Hic jam viribus pollens,
reliquos invitavit ut sibi auxilio
essent, ac conjunctis viribus pa-
triam liberarent. Unus illi con-
fensit, alter non adfuit; duo
tamen militum millia ad Ho-
um in suppetias misit. Itaque
cum vigintiquinque millibus
progreditur Hous; non con-
temnendæ copiæ, si milites ani-
mo ac fortitudine fuissent pari.
Præmisit diploma, quo Tartaros
audacter provocabat, ac o-
mnia illis extrema minitabatur;
Sinis vero libertatem, incolu-
mitatem, atque omnia bono-
rum genera promittebat. Ne-
que paucas urbes ac civitates
ad ditionem faciles invenit,
Sinis ultro portas aperienti-
bus, & excipientibus: Sigan
Metropolitana urbs sola præ-
fidium ad vim repellendam
ido-

*Hous in
Tartares
insurgit.*

idoneum habebat. Tria erant
ea in urbe Tartarorum millia,
ac selectorum Sinarum duo
millia, ex his qui sub Tartaro
Imperatore merebant. Eorum
Dux, ubi Hoi motus audivit,
undique quas potuit collegit
vires, ac reliqua ad ferendam
obsidionem necessaria, donec
nova Tartarorum auxilia ad-
venirent. Ubi autem rescivit
Sinas ultro urbes ac civitates
tradere, ut hoc in Metropoli-
tana ne fieret, cives omnes ip-
se trucidare crudelissime con-
stituit: nec ullis umquam pre-
cibus ab immanni hac sententia
dimoveri potuit; donec tan-
dem totius provinciae Pro-re-
ge rogante, ac suadente, pro-
missa civium fideli opera, ty-
rannicum consilium mutavit.
Interim edixit, ut omnes denuo
capillos, & omnino more Tar-
tarico raderent, indicta perdu-
llionis pœna; ut eo discrimine

*crudelis
consilium
Ducis Tar-
tari.*

cives à reliquis, si qui forte ingrederentur, dignosceret: hactenus enim Sinæ, capillorum suorum amantissimi, non totos crines abradebant, sed parvam dumtaxat eorum partem temporibus hærentem. Edixit præterea, ut ubicumque intra mœnia plures quam bini colloquerentur, id morte luerunt: vetuit, ne quis mœnia consenseret; ne quis noctu per urbem ambularet, ignemve aut candelam noctu domi accenderet: jussit ut omnia armorum genera traderentur; qui secus facerent, omnes cum tota familia rei mortis essent.

Post hæc, ut hostium vires exploraret, aliquos equites emisit, qui partim cæsi, partim fugientes in urbem regressi sunt. Quinetiam ut fortitudinis Tartarus Dux ac securitatis ostentatione deterret hostem, portas urbis aperatas

tas esse voluit; imo nec mobiles fossarum pontes attolli permisit. Adeſt tamen Hous, & ingente in hanc urbem circum-
quaque à longe obſidet, extra tormentorum curulum iustum.

Trium leucarum est ambitus urbis: ut autem majores quam revera habebat Hous vires ostentaret, ignavum vulgus rusticorum suis adjunxit, cum quibus trecenta hominum milia effecit. Tantam ubi Dux Tartarus vidiſ multitudinem, omnes esse milites credidit: unde de civibus omnibus delendis iterum cogitat: sed meditata tam immania spes prosperi successus discussit. Gavisus enim plurimum fuit, quando ex mœnibus prospectans, milites Sinas, quos habebat sub signis, magnis animis cum Hoii copiis dimicare vidit. Hoc enim viso clamabat, *Hoo Manzu*, quod bonos barbaros sonat:

*Metropoli-
tana Sigan
obſidetur.*

ita

ita nimirum à Tartaris Sinæ
vocantur; ut fere subactæ gen-
tes subgentibus ludibrio sunt.
Cumulabat vero hoc scomma
his verbis *Manzuxa Manzu*,
hoc est, barbari barbaros ne-
cant: quos tamen, ubi à pugna
redibant, non solum collauda-
bat, sed argento etiam donabat,
quod in mœnibus, ad præmia
eorum qui promptissime dimi-
cassent, expōni jussérat. **I**taque
Hous, cum nulos intra urbem
motus esse civium, prout spe-
rabat, intelligeret, conatus suos
in irritum cecidisse videt. **S**ed
& Tartarorum exercitus sup-
petias venit: de quo ubi per
exploratores admonitus fuit
Hous, aufugit illiē; neque
sic tamen Tartarorum manus
omnino evasit. **T**artarus enim
Dux equites in fugientem ex
urbe emisit, iqui ultimum ejus
agmen occuparunt, & occi-
sione deleverunt, quampluri-
mis

*Vrbis Si-
gam libera-
tur.*

mis ablatis spoliis ; quæ Dux ita distribuit, ut vulneratis plus daret , quam ceteris. Quid post hæc de Hoo actum , ha-
etenus ignotum est , & nihil de eo auditum. Nihil ergo hi motus Borealium Sinarum contra Tartaros magis effe-
cerunt, quam Australium pro-
vinciarum turbæ ; nisi vastita-
tem incolarum ac regionum ,
quas Tartari denuo occupan-
tes , utrimque misere vastra-
runt, ac spoliarunt.

Hoc periculo defuncti Tar-
tari, in aliud maximum, ab eo-
rum insolentia ortum, incurre-
runt. Anno enim M. DC. XLIX.
Tartarus Imperator, jam ado-
lescens , uxorem ducere cogi-
tabat filiam Regis Occiden-
talium Tartariæ , nimirum Ta-
nyu Regni ; ut vel sic hunc
Regem , cuius vires formida-
bat , amicum conservaret. Ad
eum ergo Legatum misit Pa-
trium

Tartare-
rum insa-
lentia res
eorum ad
magnum
discrimen
perducit.

trium suum Regem Pavang.
Huic per fortissimam urbem
Taitung, quæ Xansi provinciæ
Borealisima est, iter erat. Di-
citur autem hæc urbs clavis
Xansi provinciæ, estque mag-
ni momenti contra Occiden-
tales Tartaros : multis enim
munitionis præest, ac ingen-
tem militum numerum alit, ad
montium & itineris culto-
diam ; ibi enim trans murum
illum fama inclytum ingentes
planities sese explicant, Tartar-
orum excursionibus aptissi-
mæ. Sunt in hac urbe (ut vul-
go creditur) totius Sinæ pul-
cherrimæ mulieres: harum ali-
quas Tartari, qui comitaban-
tur Pavang, rapuerunt; ac inter
ceteras, nobilem puellam,
cum ad sponsi domum duce-
retur : inauditum hactenus Si-
nis crimen. Gubernabat pro
Tartaris has terras Kiangus
præfектus militum: apud hunc

po-

populi de Tartarorum insolentiis conquesti sunt. Ille rei indignitate motus, mittit statim qui Regulum Pavang admoneat, ac roget, ut sponsam restitui jubeat, ac suorum immoderationem compescat. Regulus hæc surda excepit aure: Quam obrem ipse met Dux Kiangus Regulum adit: à quo non modo non admissus est ad colloquium, verum etiam injuria affectus ex palatio ejicitur. Ira itaque fremens, Tartarorum sanguine acceptam injuriam ^{Kiangus in} ^{Tartares} ^{insurgit.} ulcisci statuit: suos milites convocat, ac repente Tartaros invadit ac trucidat. Ipse Regulus per murum dimissus vix vivus evasit, pernicis equi celeritate. Tum Kiangus vexillum erigit, quo se Han Regni, hoc est, Sinici Imperatoris subditum declarat, nullo tamen Imperatoris nomine sigillatim expresso; forte quia ob maxi-

*Kiangus
magnas
congregat
vires.*

maximum itineris intervallum de Junglieo nihil audierat. Itaque Sinas omnes ad patriæ defensionem, ac Tartarorum expulsionem invitat. Nec pauci fuere milites ac Duces, qui ad eum concurrerent. Quin & ab Occidentalibus Tartaris (contra quos ipse cum suo milite hactenus steterat) magnis promissis auxilia poscit, ac obtinet. Hæc res mirum quantum Regiam turbavit, ac Tartaros præfectos: nam Occidentales Tartaros Imperio inhiare, ac sibi invidere, non dubitabant: sciebant eorum vires, ac copias firmiores ac plures esse, quam Orientalium Tartarorum. Augebat metum quod nullos deinceps sibi equos fore animadverterent, quibus ut abundat Occidentalis Tartaria, ita Orientales non aliunde eos emere poterant. Quare quanta possunt velocitate, antequam Ki-

angus

angus majores congregaret vi-
res, justum exercitum Tartaro-
rum contra eum ex Regia Pe-
king mittunt. Kiangus vero, qui
non minus fortitudine quam
arte promptus erat, & Tartaro-
rum ingenia probe perspecta
habebat, à multo tempore cum
illis degens, fugam primo cum
suis simulat; sed in ultimo ag-
mine currus quamplurimos ire
jubet, operose coniectos, quasi
ditissima quæque continerent;
qui tamen reipsa non merces,
verum tormenta majora ac
minora quamplurima inver-
so ore vehebant. Tartari ve-
ram eam fugam rati, incompo-
sito agmine ad prædam advo-
lant: verum tormentis inopi-
nato explosis maxima eorum
pars occumbit; quin & Kian-
gus acie obversa, confusos in-
vadit, ac non parva edita strage
fugat. Paulo post quoque,
non minus stratagemate quam
Kiangus
strategemate Tar-
taros vicit.
for-

fortitudine insignem se Kian-
 gus ostendit : cum novo ac re-
 parato Tartarorum exercitu
 aperto confligit marte , ac no-
 bilem reportat victoriam , qua
 Regiam Peking confusione ac
 metu implevit. Jam enim vi-
 tor Kiangus ingentem ex con-
 currentibus undique Sinis con-
 traxerat exercitum , ita ut cen-
 tum quadraginta millia equi-
 tum , & quadringenta millia
 peditum numerasse dicatur. Ut
 enim victorem sequuntur om-
 nia , felici jam Duci militare
 universi contra patriæ hostes
 contendebant. Unde Amavan-
 gus , Imperatoris tutor , nulli
 alteri tanti momenti negotium
 committere volens , ipse met in
 Kiangum movit , ultimum pe-
 riculum de Tartarorum fortu-
 na facturus. Tota igitur octo
 vexilla ad hoc bellum eduxit ;
 hoc est , cunctas Tartarorum
 vires , quæ in Peking reperie-
 ban-

Tartaros
iterum ca-
dit.

Amavan-
gus ipse in
Kiangum
movet.

bantur Constat autem, sub octo vexillis omnes milites Tartaros ac Sinas, tum qui in Peking, tum qui per totam Sinam sunt sparsi, distributos esse.

Primum, album est, quod Imperiale dicitur; secundum, rubrum; tertium, nigrum; quartum, crozeum: his tribus ultimis Patrui Imperatoris praesunt; primum autem ipse Imperator regit. Ex his quatuor, permixto colore alia quatuor conficiunt; unde quilibet miles sub quo vexillo sit, & ad quae castra, vel ad quam urbis partem divertere debeat, cognoscit; ubi semper paratis equis ac armis ad bellum prompti habitant. Cum autem exercitus vel cohors aliqua emitenda est, intra semihoram expediti possunt omnia. Inflatitur enim pro tuba marinum cornu, illis simile quae nos Tritonibus appingimus: ex loco autem,

Tartaro-
rum vexil-
la.

tem, ac modo soni, qui & quo numero milites ac Duces procedere debeant, intelligunt; unde sine mora parati adsunt, ac vexillum sequentes (quod à tergo ligatum eques portat) exeunt; licet saepe præter Ducem ac Signiferum, nemo, quorsum & cuius rei causa ducatur, intelligat. Quando putandum est, tum primum quo destinentur cognoscunt.

*Secretum magnifica-
ciunt in mi-
litia Tar-
tarorum*

Secretum hoc in Tartarica militia, Sinas omnes semper suspensos ac attonitos tenuit. Cum enim putarent Tartaros hanc aut illam regionem petere, saepe aliam derepente petire. Illud etiam in Tartarica militia rarum, quod nulla secum ducant impedimenta, nec de annona sint solliciti: cibus quem occupant, satiat: carne ut plurimum vescuntur, nec a semiocotta vel semiassa abhorrent: ubi alia deest, occisos equos

equos ac camelos vorant : per
otium venantur , ac s̄apē inte-
gros campos vel montes cir-
cumdant ; deinde paulatim
coēuntes feras in medio clau-
dunt , ex quibus quot & qua-
cumque volunt , interimunt :
venaticos etiam ad hæc cānes
præstantissimos alunt , ac vultu-
res. Cubile illis est solum , tape-
te , quo ephippium conteguunt ,
substrato: à domiciliis incolen-
dis abhorrent : tentoria pul-
cherrima habent , quæ tantæ
velocitate ac arte erigunt vel
deponunt , ut festinantei exer-
citum non detineant. Si domos
inhabitare necessitas cogat , pa-
rietes omnes perrumpunt , re-
lictis columnis , ac tectis: eum-
dem locum cum equis pro cu-
bili habent. Ita militiæ soli vi-
vunt , seque indurant.

Ex omnibus ergo vexillis ,
Amavangus optimos quosque
ac frequentissimos eduxit. Pre-

H. terea

Tartari ve-
natione de-
lectantur.

terea à tribus Regulis, quos in
Austrum ablegabat, partem
militum sibi adjunxit; mandans
ut per provincias, per quas
transibant, ex præsidiariis cer-
tum acciperent numerum, quo
Amavangus cum Kiango pugnare non audet. defectum supplerent. Sed in-
gentem licet exercitum duce-
ret Amavangus, numquam ta-
men pugnare cum Kiango vo-
luit; ne nondum bene fundati
Tartarorum Imperii fortunam
everteret, aut unius pugnae pe-
riculo exponeret. Itaque, licet ki-
angus saepius pugnam parato
exercitu obtulisset, semper A-
mavangus detrectavit, donec
quid Occidentales Tartari re-
sponderent cognosceret; ad
quorum Regem Legatum cum
magnis misit muneribus, filiam
ejus pro Sinici Imperii domino
in uxorem petens, ac affinita-
tem rogans; insuper, ut Kiango
auxilia non submitteret. Obti-
nuere ditissima aurum, sericoru-
mum, ar-

argenti ac mulierum munera ,
quod volebat. Unde Kiāngus à
Tartaris desertus, ut rebus suis
melius provideret, ad Taitung
urbem regressus est ; cuius rei
cito illum, sed frustra pœnituit.
Amavangus enim , convocatis *Kiangi er-*
innumeris undique rusticis, in-*ror.*
genti fossa (quæ decem leucas
ambitu continebat) incredibili
trium dierum velocitate , &
erectis undique castellis , subi-
taneo opere urbem clausit.
Tum enimvero Kiāngus erro-
rem suum agnovit , ac sibi suis-
que faimē pereundum non du-
bitavit, quod ad fossam ducen-
dam spatiū concessisset. Ita-
que ira fremens , ut erat egre-
gius miles , ad suos conversus,
Mori, inquit, volo, non fame,
sed ferro, si moriendum est. His
dictis cum toto exercitu ad fos-
sam tendit. Pugnatum hic mag-
na utrimque contentione ; ab
istis, ut fossam transirent ; ab il-

Kiangus
caeditur.

lis, ut defenderent: varia fuit fortuna, ac incerta victoria, donec Kiangus fortiter pugnando sagitta transfixus corruit, & cum eo spes tota Sinarum. Milites, eo mortuo, depositis armis partim aufugerunt, partim se Tartaris tradiderunt; à quibus libenter ac humaniter excipiebantur, satiis utiq; gaudentibus, quod tantum amittendi Imperii periculum evasissent, ac tantū hostem debellassent. Post hæc Taitung urbem spolarunt, & præcipue Pucheui civitatem, quam etiam igne cremarunt; ita templum ibi nostrum periit, ubi paucos ante annos, Licungzi latronis tempore, & Patrem Michaëlem Valta Austriacum amiseramus. Reliqua ultrò se submiserunt. Inde vero Tartari vñtores, ac spoliis onusti, Peking redierunt; ubi tum temporis eram, & ditissimos plerosque redeuntes vidi. Amavangus autem deinceps

ceps Occidentalem Tartariam
ingressus est, ubi Xunchii Imperatoris matrimonium stabilitavit, & quamplurimos equos à Regni Tanyu Tartaris accepit.

Xunchii
Imperator
uxoriam
ducit.

Interea tres Reguli, de quibus supra, Austrum petebant, ut inquietas illas Provincias in officio continerent. Per Xantung iter habebant prono flumine Guei navigantes: cumque transirent per eam regionem, quam Imperator, occisis ob perduellionem Sinis, inhabitandam & colendam Tartaris distribuerat, horum quamplurimi, cum magis bello ac armis gauderent quam aratro aut ligonibus, agriculturæ ignari, ut Regulos comitari possent rogarunt. Duo ex Regulis hos admittere noluerunt inconsulto Imperatore; tertius, Kengus dictus, admisit: itaque læti rustica instrumenta in bellica permutarunt. Imperator, ubi

H 3 hæc .

hæc rescivit, Kengo mandat, ut eos remittat: at ille varia prætendens, obedire detreat. Quare Australium Provinciarum summo Gubernatori, qui Nanking residebat, Imperator rursum mandat, ut Kengum vel vivum capiat, vel occidat. Facit ille Imperatoris mandatum secretissimè. Regulos Nanking advenientes alacriter excipit, paratis conviviis, ac comœdiis exhibitis, quasi nullum ab Imperatore mandatum haberet. Cumque aedesset dies, quo iter suum Reguli per magnum Kiang fluvium continuare volebant, prædictus Gubernator eos iterum convenit, ac in ipso flumine convivio excipit, quasi valeretur: (habet autem Sina ad hunc usum pulcherrimas ac ingentes naves, quæ quædam palatia inaurata crederes.) Regulos igitur in hujusmodi navi

con-

convivantes hilariter detinet, donec milites omnes longius præcessissent: tum vero Imperatoris mandatum Kengo exponit. Ille promptam obedientiam simulans, se in ejus potestate futurum, & Nanking reversurum promittit, si prius concederet, ut ad navim, quæ ipsum expe&tabat, se conferret, & de rebus suis disponeret. Concessum est; & navem *Kengus* ingressus, laqueo se suspendit; *Regulus* *seipsum su-* ac mortem, quam effugere non *spendit.* potuisset, sibi ipsi intulit. Summus autem Gubernator, Imperatoris nomine, ejus filio eamdem quam pater habuerat Præfecturam concessit; atque ita tres Reguli, superata Nanking ac Kiangsi Provincia, ingredi sunt tandem Provinciam Quangtung, Junglieo Imperatori bellum illaturi. Et primum quidem nullo negotio plurimas urbes ac civitates ad vo-

luntariam deditonem pronas
habuerunt, trium videlicet ex-
ercituum potentiam formidan-
tes; sed Quangcheu Metropolis
vim experiri voluit.

*Quangcheu
urbs obside-
tur.* Est Quangcheu urbs ditissi-
ma, ac amplissima, undique
magnis ac latissimis aquis cin-
cta. Unica Borealis porta in
continenti est; alibi tantum na-
viculis in urbem patet iter.
Aderat ibi cum ingenti classe
capti Iquon filius: numerosæ
præterea militum copiæ illam
defendebant, inter quas &
Macaënses fugitivi non pauci,
qui ob opima stipendia Jun-
gleo militabant. Unde non mi-
rum si intrego ferè anno obsi-
dionem tulit: fame enim doma-
ri non poterat; quia mari facile
omnia ac libere advehabantur;
Tartaris interim classe caren-
tibus, & navigationis ignarisi.
Quibus addendum insuper,
Tartaros plurimos in ea obsi-
dio-

dione occisos, & ter impressi-
onem facientes, fortiter reje-
ctos fuisse. Attamen xxiv. No-
vembris M. D C. L. postquam
magnis tormentis mœnia Tar-
tari dejecissent, eam cœperunt;
prodente etiam, ut fertur,
Præfecto quodam Sinico; cui
eamdem Tartari Præfectu-
ram, quam habebat, reliquē-
re; unde proditionis suspicio.
Altera vero die urbem spo-
liare cœperunt, & ad quin-
tam usque Decembris depræ-
datio tenuit, in qua infantes,
mulieres, ac obvii omnes neca-
bantur crudelissime; unaque
audiebatur vox, *Occide, Occide*
hos rebelles barbaros. Artifici-
bus tantum aliquibus vita per-
missa est, ad conservandas artes,
& iis quos ad spolia portanda
milites Tartari robustiores vi-
debant. Sexta demum die
Decembris Regulus diploma
publicavit, quo sœviri ultra-

*Quæcunque
tandem ca-
piuntur, ac
vastantur.*

vetuit, postquam supra centum
millia hominum occisa sunt,
præter eos qui obsidionis tem-
pore vario mortis genere præ-
repti fuerant. Post hæc, circum-
vicinæ civitates omnes Lega-
tos suos miserunt, per quos
Tartaris se ultro dedebant, mi-
sericordiam implorantes, quam
magnis missis muneribus obti-
nuerunt. Deinde Regulus in
Chaoking copias duxit, ubi
Jungliei erat Regia; ex qua
cum tota Familia impar viri-
bus Rex aufugit, & urbem
Tartaris cedere est coactus.
Quonam autem Rex iste cum
suis devenerit, hactenus igno-
tum est mihi, (Quangsi Pro-
vinciam ingressum non dubi-
to.) Hoc enim tempore ex
Provincia Fokien Sinica navi-
vectus, Philippinas petii, in
Europam ab iis missus, à quo-
rum nutu discedere mihi ne-
fas.

*Junglieus
fugit.*

In

In Metropolitana Quang-
cheu, templum magnificentum ha-
bebamus, ubi Pater Alvarus
Semedo, Christianam rem pro-
curabat, qui etiam à Tartaris
captus ligatusque fuit, sæpe
mortem minitantibus, nisi ar-
gentum, quod bonus Pater
non habebat, proferret: de-
mum postquam multa passus
esset, ob venerandam cani-
tiem, & libertatem & vitam
mirabiliter obtinuit, à Regulo
agnitus ac dimissus: quinimo
ab eodem Breviarium Roma-
num, Sacra Biblia, ac bonam
argenti summam eleëmosynæ
nomine accepit, & domum in-
super, ex qua templum con-
strueret. Quod mirum videri
non debet; namque hic Regu-
lus & Patres in reliqua Sina
noverat, & Religionem Chri-
stianam perspectam habebat,
quando sub Sun Ignatio mili-
tabat, sub quo ad Tartaros con-

*Tartari
Templum
offerunt
Patribus.*

fugerat. Nec solus hic Tartarus rebus nostris favet; ceteri fere omnes Europęs Patres amant,
*Tartari si-
dem ample-
tuntur.* aestimant ac venerantur. Et non pauci ex illis jam fidem amiserunt nostram; majoresque multo fructus speramus, si à sociis adjuti, ipsam ingrediamur Tartariam, ut meditamur; ubi nostros Deo Optimo Maximo egregiam operam navaturos confidimus. Et fortasse benignus Deus Sinam Tartaris aperuit, ut religione Christianæ in ultimam Tartariam pandat iter, hactenus ignotam nobis ac inaccessam.

*Corea à
Tartaris
deficit.*

Eodem tempore quo hæc agebantur, contra Coreanos etiam motum est bellum. Erant illi ab aliquot annis Tartaris tributarii, ea conditione, ut vestes ac capillos non mutarent: sed Tartari, tot victoriis inflati, jam cogebant ut Tartarico more incederent: quare totum illud

illud Regnum à Tartaris defecit. Sed quid deinceps aetum, nondum ad me perlatum est.

Ceterum inter tantas Tartarorum victorias, initio anni M. DC. LI. mors Amavangi luctuosa incidit. Vir fuit, cui Tartari occupatum Imperium debent, prudentia, justitia, bellica arte & comitate insignis ; ob quas virtutes non modo Tartaris, sed ipsis Sinis amori simul ac terrori fuit. Hujus mors Regiam turbavit. Alter enim Rex Tartarus, hujus frater, nomine Quintus, Xunchii junioris Imperatoris tutelam per vim arripare volebat, Tartaris ac Sinis invitis, qui Xunchium jam annorum sexdecim, posse ac debere regimen suscipere contendebant. Quintus autem Rex contra, Xunchii aetatem tantis rebus adhuc imparem pretendebat, ac sibi debitam tu-

De quo
fol. 102.

H. 7. telam.

telam. Quare Præfecti omnes, eo tempore in Regia versantes, palatium ingressi, Præfeturæ insignia deposuerunt; negantes illa ab alio quam **Xunchio** se recepturos. Hac visa constantia, Quintus ipse Rex, ne magis exacerbaret animos, & maiores turbas excitaret, tandem quievit.

Ceterum, Amavangi mortem, Tartarorum resturbatram, ac ad magna discrimina perducturam non dubito. Ægrè enim juvenis Imperator illi similem fortitudine ac gubernandi peritia inveniet, quem Reges ac Præfecti omnes venerentur simul, ac timent; sed tempus futura evolvet. Nunc ad Changhienchungum secundum latronem veniamus; de quo me acturum promisi: ut quo pacto Tartari non modo Orientaliora, ac Mediterranea, sed etiam Occiden-

Vide su-
pra pag.
72.

cidentalissima Sinæ occuparint, edisseram.

Pudet equidem ac tædet de *Canghien-*
hujus latronis rebus agere ; *chungus*
tum quia ejus facinora vix fi- *immanis*
dem invenient, tum quia sunt *tyrannus*.
ejusmodi, ut de iis ne cogitare
quidem deceat sine horrore.
De eo longam habeo narratio-
nem, à duobus nostris Patri-
bus scriptam, qui in Suchuen
Provincia, ubi latro erat, rem
divinam proœurabant, nempe
R. P. Ludovico Bullio Siculo
& R. P. Gabriele de Magella-
nes Lusitano: quorum integri-
tati quia debetur fides, ideo
adducar ut credam, mortalem
hominem ad tantam nequitiam
ac fævitiam pervenire potuif-
fe. Ex ea igitur narratione hæc
breviter desumpsi, quæ nihil
ferè aliud continent, quam di-
ræ crudelitatis exempla, &
adeo exquisitæ, ut vix dubitari
possit, quin Lector, quantum-
vis

vis humanus, ejus auctorem, non hominem, sed feram, aut carne humana indutum demonem appellare debeat; & si quod est aliud dirius nomen illi imponere.

In varias Provincias penetravit hic latro, quas omnes rapinis, cædibus, incendiis, omnibusque miseriis impletas fœdavit. Erat illi animus omnes vastare, ne hostes haberet, vel invivis relinqueret qui à se deficere possent; solis suis contentus militibus: sed nec horum quamplurimis pepercit. Verum provincia Suchien, ingens ac populosissima, in qua per vim Regium assumpsit nomen, crudelitatis summæ theatrum fuit. Postquam enim Huquang ac Honan, & partem Nanking ac Kiangsi vexasset, pervenit ad eam anno M. D C. X L I V. & in ejus Metropoli Chingtu, vi capta, primo furoris æstu Re-

Regulum ex Taiminga Familiā, qui in hac urbe sedem fixerat, occidit; uti jam septem Varios Regulos occidit.
alios ex majoribus crudelissime mactaverat. Hęc suēre præludia tragicorum actuum, quorum scenas breviter exhibebo, ut videant Europæi quam horrenda sit effrænis & armata ferocitas in mediis infidelitatis tenebris furibunda.

Habebat latro crudelitatis impetus repentinus, ac principia ex dirissima orta indole. Nam vel leviter ab aliquo offensus, vel sola offensionis suspicione tactus, repente mactari jubebat. Nihil ei in ore nisi vocabula mortis. Sæpe unius ob crimen totam familiam necabat, nec infantibus nec prægnantibus parcens: quinimo sæpe totam plateam delebat, ubi ille, à quo offensus fuerat, habitabat, fontem cum insontibus involvens. Aliquando

*Ob unum
fontem in-
fantes plu-
rimos neca-
bat.*

do cursorem in Xensi vicinam Provinciam misit : ille regredi ad tyrannum noluit , lætatus plurimum quod ejus manus evasisset : ob id totam regionem urbis , in qua habitabat , delevit ; & magnam quoque feritati vim intulit , quod cives omnes non eadem pœna afficerit. Ubi carnifex , quem forte ob crudelitatem præ reliquis amabat , morbo extictus fuit , tum de Medico à quo medicinam sumpserat inquirit : quo interempto non contentus , centum ejus artis homines carnificis manibus immolavit.

Erat quidem in speciem comis ac suavis erga milites ; cum illis ludebat , epulabatur , ac tamquam gregarius colloquebatur ; sæpè ob benè exhibita militaria exercitia , ipse suis manibus eos sericis ac argento donabat. Non erat hoc illi inutile ,

tile, nec probrosum: verum & facili de causa crudelissimè coram se aliquos ex illis trucidari jubebat; præcipue milites ex Suchuen Provincia; cuius populum miro persequebatur odio, quod suspicaretur eum Regia ejus potestate non gaudere. Et vix quidquam agebat in publico, quin id ex comœdia in tristissimam catastrophen ac tragœdiam desineret: si enim vel malè vestitum, vel parum generose ambulantem militem fortè videret, morte quamprimum afficiebat. Aliquando militi sericum dono dedit, qui de ejus vilitate apud commilitones conquestus est. Id fortè audivit explorator (quorum quamplurimos meticulosus tyrannus ubique habebat, qui facta & dicta omnium referebant) à quo admonitus, ipse totam illam legionem; sub cuius vexillo querulus ille milites

*odium ty-
ranni in
Suchuen
populos.*

*Legionem
militum
delet ob
niss criminis.*

les arma gerebat, coram se trucidari crudelissime jussit. Erat ea legio, ut ferunt, duorum millium.

*Praefectos
varios ne-
cavat,*

Habebat in Regia urbe Praefectos Togatos sexcentos, publicis officiis praepositos: ex his post trium annorum spatium vix viginti superfluerunt, omnes levissimis de causis vario mortis genere affecit. Summo militaris Tribunalis Praefecto, quem Pingpu Sinæ dicunt, vivo pellem detrahi jussit, quod absque peculiari mandato Philosopho Sinico ad domum suam è Metropoli exeundi potestatem concessisset.

*& Eunu-
chos.*

Eunuchorum quinque milia, quqs ex Taimingæ Familiæ Regulis à se occisis ad proprium admiserat obsequium, trucidari immaniter jussit; quod eorum uni semel accidit, ut non Regis titulo, sed antiquo latronis Changhienchung nomi-

nomine eum compellaret ;
perinde quasi jam latro non
esset.

Nec idolorum pepercit sa-
crificulis. Hi , antequam latro
Suchuen occupasset, ingentem
tumultum , fictis armati crimi-
nibus , in Patres , qui incolis
Christum annuntiabant, move-
runt ; quæ demum in majorem
Dei gloriam redundavit; ita ut
Patribus libere divinam rem
agere permisum sit. Postquam
autem latro Suchuen occupa-
vit, sacrificulus magni nominis,
qui turbarum caput ac auctor
fuerat , ob quædam verba quæ
de tyranno protulit , captus
est , ac in Patrum conspectu ,
qui forte tyranno adstabant, ca-
pite truncatus. Didicerant Pa-
tres à Christo inimicis benefa-
cere , sed pro illo intercedere
non potuerunt ; quod latronis
insanam iram noverant , quæ
intercedentes eadem pœna ,
cum

*Tyrannus
Paires modo amat,
modo necare vult.*

cum eo , pro quo intercedebant, affecisset. Amabat quidem dirissimus latro Patres , tamquam doctos ac hospites , ac sæpè cum illis colloquebatur,in palatium sæpè invitabat; Patres tamen toties ad mortem se vocatos credebant , quam ob præcipitem tyranni iram merito formidabant. Ter morti destinati , ex quarto demum periculo divina quadam manu , ut suo loco videbimus, ob unius erepti sunt. Non quievit autem tyrannus unius sacrificuli crimen .^{20.} millia occidit. morte: undique ad viginti milia conquisitos vario mortis genere ad orcum , cui servierant, misit. Laudabat se ipse coram Patribus, tamquam rem bellam egisset. *Hi* (dicebat) *vobis vitam eripere volebant:* sed *Tienchu* (ita Deum nominant, quod Cæli Dominum significat) *me misit* , ut *pro vobis de his hostibus meritas reposcerem*

rem pœnas. Sæpè etiam cum Patribus de Christiana Religione loquebatur, & tam appositè, ut Christianus videri potuerit. Laudabat ac extollebat Christianam doctrinam, de qua tum à Patribus ore tenus multa audierat, tum ex libris, Sinico idiomate à nostris impressis, legerat. Promittebat, ubi Imperium occupasset, extructurum se Deo templum, sua dignum munificentia: eratque in operibus externis verè splendidius ac magnificus: nihil enim nisi omnino egregium extruxit; sed omnia operariorum sanguine fœdabat, quos ubi vel levissimum errorem commisisse deprehendebat, ipso in opere crudeliter necari jubebat.

Ad Boream Suchuen Provinciæ, ubi cum Xensi concurrit, jacet urbs fortissima Han-chung, quæ ad Xensi pertinet:

*Hanchung
urbem oc-
cupare ten-*

utrius- tat.

utriusque Provinciæ clavis dicitur, ob loci præstantiam ac fortitudinem : hanc tyrannus occupare contendit, ut facilius ad reliquias penetraret. Ingentem ergo exercitum anno M. DC. XLV. præmisit ; in quo, præter reliquos, milites erant ad centum & octoginta millia ex Suchuen oriundi. Cum diu urbem frustra obsidione cinxissent, obsellis fortiter ac strenue resistentibus, quadraginta millia ex Suchuen ad urbis Praefectos defecerunt: ita tantus exercitus demum ad tyrannum re infecta redire coactus est. Sed tyrannus ira fremens, cæteros in fide perstantes ex Suchuen milites (centum erant & quadraginta millia) tamquam rebelles, horribili ferocitate à reliquo exercitu occidi jussit. Quatuor integros dies tenuit hæc carnificina: quamplurimis vivis adhuc spirantibus pellis de-

*Centum
quadragin-
ta millia
milium
erudelissi-
me necat.*

detracta, & relieto annexo capite stramine repleta, atque ita ad civitates vel urbes, ex quibus oriundi erant, transmissa, ut civibus terrorem incuteret: atque hinc in totam Provinciam, tamquam à se Rege alienam, illud odium concepit, quod vix eadem omnino deleta extintum est. Plurimi quidem, ob inauditam ejus tyrannidem, contra ipsum arma capiebant; qui cum milites non essent, sed solum ex confusa populi turba collecti, sine peritis Ducibus, facile à latrone superabantur: plurimi, iisque prudentiores, urbibus relictis, secretiora montium occupabant: hi ex tota ferre Provincia soli crudeles tyraanni manus evaserunt.

Post hæc omnes totius Provinciæ studiosos ad Litterariorum examen vocat, Præfecturas doctoribus promittit. Has ad eo cæca ambitione prosequuntur

I tur

*studiosos
omnes eq-
uidit.*

tur Sinæ, ut tyranni stratagema
ac perfidiam ne intellexerint
quidem. Ad sunt ergo ad de-
cem & octo plus minus millia;
quos omnes (ut moris est) in
Gymnasium urbis, tamquam
ad examen introduxit; ubi cap-
tos, à militibus necari crudelis-
sime jussit, afferens eos esse, qui
suis sophismatis populum per-
turbarent, & ad rebellionem
provocarent.

Horresco referens tot fune-
ra, & novis tamen obruor.
Necdum enim recensui quot
ubique passim infantes, pueros,
puellas ac matronas, etiam præ-
gnantes interemit. Quot præfe-
torum uxores, vivis adhuc ma-
ritis, sed morti destinatis, prius
publico exposuerit ludibrio
turpissimus æque ac crudelis-
simus tyrannus, quam morti
victimas immolaret: unde
quampluri mæ violentas sibi
potius manus inferebant, quam

*Infantes
necat, ac
matronas
exponit.*

ut

ut paterentur honestatis suæ publicum hoc & infame detrimentum. Execranda quamplurima hujus generis exempla relinquo, ne castis oculis ac mentibus infanda & tacenda subjiciam.

Anno deinceps M. DC. XLVI. in Tartaros, quos Xensi Provinciam ingressos audierat, move re coactus est. Quare, ut securior procederet, reliquos omnes Suchuen Provinciæ incolas delere decrevit, iis exceptis, qui ad Barrapeliotæm vergūt, ne exercitibus alimenta defissent: nam per eas terras procedere debebat; ea de causa illorum mortem in aliud tempus distulit. Primum itaque omnes omnis generis ac conditionis in Chingtu Metropolitana urbe cives, ab intromissa exercitus parte vinculis constringi voluit; (sexcenta hominum millia fuisse scribunt) mox ipse per

I 2 hosce

Sexcenta
civium
millia
Chingtu
urbis ma-
gat.

hosce vinc̄tos obequitans traī-
sivit, quem lamentabili ejulatu
& lacrymis, quibus vel lapidem
movissent, Regem ac Dominū
compellabant, flexis genibus
rogantes, ut innocentī populo
suo parceret. Stetit ipse tantil-
lum, natura humana diris vis-
ceribus ac crudelitati vim ali-
quam inferente: mox tamen ad
ingenium rediens, *Occidite, in-*
quit, Occidite hos rebelles. Qua-
re omnes eodem die extra ur-
bis mœnia, spectante ac viden-
te sanguino lento latrone, tru-
cidati sunt. Patres nostri per id
tempus, ut famulis suis subve-
nirent, tyrannum cum evidenti
suo adierunt periculo; à quo ta-
men, stupentibus omnibus, fa-
mularum vitam obtinuerunt.
Jam legati cum reliquis edu-
cebantur: unde divisi Patres, al-
ter una, alias alia urbis porta
egressus est, per quas miserabi-
lis populus educebatur, veluti
ad

ad macellum; atque ita famulos liberarunt: ubi etiam Deo ac Religioni præclaram naverunt operam, infantes innumeros, militibus concedentibus, sacra Baptismatis aqua abluentes, qui ex carnificum manibus in Cælum evolaturi erant; atq; ita immanis tyranni crudelitas parvulis illis profuit, ut Herodis Innocentibus: magnum plane Divinæ prædestinationis testimonium.

Scribunt, tantum sanguinis hic fusum, ut magni Kiang fluminis (quod urbem præterfluit) aquas auxerit: imo ipsa corpora in flumen projecta sunt; à quo abrepta, reliquis urbibus ac civitatibus, ne meliora à tyranno sperarent, nuntiabant. Nec diu dilata res est: nam tyrannus, eodem modo undique dimissis exercitibus, reliquarum urbium ac civitatum incolas, quoscunque asse-

I 3 qui

Innocentes
baptizan-
tur.

qui potuit, occidit: ita totam
penè populosissimam Suchuen
Provinciam incredibili vastita-
te corrupit.

His peractis, milites omnes
congregavit in campo, quem
pro militaribus exercitiis quæ-
libet urbs in Sinis habet (Kioo-
chang vocant) ubi eos ita est al-
locutus: *Orbis Imperium, expul-
sis Tartaris, vestra virtute me
consecuturum spero: sed expedi-
tiores ac promptiores vos volo,
quam modo suis. Ego ipse, ut vobis
notum est, sexaginta naves
argento plenissimas Kiang fluvio
mersi, quod ubi Imperium occu-
pavero, facile extraham, ut vobis
de me bene meritis distribuam:*
(verum dixit de merso argen-
to; sed ut locus lateret, nautas
omnes mactaverat:) *majus re-
stat itineris nostri impedimen-
tum; mulieres nimirum, quibus
vestrum quilibet gravatur. A-
gite fortiter, Imperio occupato*

ex-

exquisitissimæ aliae non deerunt.
 Exemplo praibo; quamvis ut Imperator, legi communi minime obnoxius. His dictis, ex trecen-
 tis puellis (quas pulcherrimas ad voluptatem ac servitium si-
 bi elegerat) solas viginti ad trium Reginarum obsequium ser-
 vat; reliquas omnes ibidem necari jubet. Sequuntur deinceps milites crudelissimi Ducis Imperium ac exemplum, & innu-
 meras innocentes mulieres, tamquam oves, & perinde ac si hostes essent, obtruncant.

*Militum
mulieres
omnes ne-
cari jubet.*

Ubi vero homines ex Szechuen Provincia, quos mactaret, non habuit, iram ac odium in urbes ac domos evomuit. Palatum superbissimum, quod sibi extruxerat, incendit: quo incendio & pulcherrimam ac amplissimam Chingtu Metropolim etiam vastavit. Arbores omnes, ne cui prodeffent, deje-
 cit. Ita (ut dicebat) purgato

*Palatum
ac Chingtu
urbem com-
buriit.*

exercitu tandem processit, & ubicumque transfibat, relictos haec tenus mortales internecione delebat; omnes nimirum quos ad manus habere poterat. Neque his contentus, quamplurimos etiam ex militibus, quia præcedebant alios, vel tardius sequebantur, levissimas demum ob causas, trucidabat: ægrotos omnes ac debiles etiam ad orcum demittebat, ne (ut joco ludebat) in mala ac destructa regione miseri remanerent. Crudelissima alia taceo, & ad catastrophen propero.

Vix Xensi Provinciam ingressus erat, quando Tartarorum Dux, Imperatoris patruus, cum quinque Tartarorum milibus adfuit, reliquis copiis subsequentibus: More Tartarico quinque equites præcedebant: Tartari enim semper aliquos præmittunt; qui si bene excipiuntur, pro signo submissionis ac

pa-

pacis habent; si vis aliqua illis
inferatur, futuræ pugnæ sig-
num inde accipiunt. Hos equi-
tes prodromos latronis explo-
ratores viderant, & statim ad-
esse denuntiant. Ridet ille ex-
ploratores, & num advolarint
Tartari, interrogat. Tum tem-
poris homines quamplurimos
ante se ligatos habebat, ut occi-
deret; inter quos & duo nostri
Patres erant morti destinati,
quia in Suchuen redeundi co-
piam petierant; hujus enim
Provinciæ ad Christum con-
vertendæ curam susceperant:
sed inopinata mors latronis eos
à præsenti periculo exemit: eo-
dem enim tempore à Ducibus
admonetur, Tartaros vere ac
pro certo adesse. Quo audito,
ipse confestim è tentorio e-
rumpens, ut erat animosus, sine
lorica & galea, arrepta lancea,
paucis comitatus exit extra ca-
stra, ut Tartarorum exploraret

*Tyrannus
occiditur.*

adventum. Ad sunt re ipsa quinque illi Tartari, ac tyrannum invadunt velocissime. Prima sagitta quam emiserunt, felicissima Tartaris & pluribus aliis fuit, quæ latronis dirum cor transfixit, ac illum extinxit, qui omnes necaturus videbatur, & ex vilissima latronis forte Regis interim titulum violenter assumebat: ita crudelitatis monstrum corruit. Quo prostrato, reliqui simul ad sunt Tartari, & facile totum ejus exercitum sine Duce fundunt. Milites quamplurimi ad Tartaros deficiunt, alii occiduntur, alii aufugiunt: & mox in Suchuen Provincia miseræ hominum reliquæ, tamquam servatores suos accipiunt Tartaros: atque ita hæc etiam Provincia Tartaris paruit, quæ in Occidente ultima Sinarum est, Tibetano Regno vicina.

*Suchuen.
Provincia
Tartaris
subjicitur.*

Stabilitis exinde rebus, ac reli-

relictis præsidiis in hac Provincia, ad Peking Regiam reditum parabat Tartarorum Dux; quando Patres nostri, jam liberi, facultatem ab ipso petierunt remanendi in Suchuen. Hanc vero concedere noluit; sed tantos hospites Peking secum ad Imperatorem transire debere dixit; in qua urbe ego ipse eos reliqui anno M.DC.L.

Ceterum ante commemoratus Dux, post tantam victoriā, ab Amavango fratre male est exceptus; & ubi triumphum sperabat, mortem inventit. Cum enim longissimo plurium mensium itinere, laborum assidua perpeſſione, ac continuis moleſtiis, plures quam pugnando Tartaros amifſet; de regiminis negligentia accusatus, cum laudem ſe meritum crederet, iram domare non potuit; ſed arreptum Tartaricum pileolum in ter-

*Patruus
Imperatoris
non bene
excipitur.*

ram (quod summum est indignationis signum) projectit. Quare destinatus fuit carceri, in quem includi solebant ab Imperatoribus Sinicis quicumque ex Imperiali sanguine delictum aliquod commiserant: vocaturque hic cancer Caociang. Hoc vero probrum ne primus ex Tartaris pateretur, in proprio palatio laqueo prius vitam finivit; meliori dignus fortuna Princeps, quam generosus illius animus ac præclare gesta facinora merebantur. Non defuere qui hoc ex Amavangi æmulatione ortum affirmant; sed credo Amavangum ad hæc adductum, quod rebus Tartaricis non parum timeret ab hoc fortissimo, sed præcipiti ingenii fratre.

Atque hic esto narrationis meæ finis, qua Bellum Tartaricum breviter descripsi, ad initium usque anni M. DC. LI.

quo

*Scipsum
suspendit.*

quo tempore ex Sinarum Re-
gno in Europam à Superiori-
bus meis missus discessi. Ex
hac porro, si nihil aliud , illud
certe mirum & omni observa-
tione dignum apparet , quem
admodum brevi septem anno-
rum spatio Tartari plus terra-
rum occuparint , quam exerci-
tus integer in longum & latum
perambulare possit: duodecim
nimirum Imperii Sinarum Pro-
vincias , & Coream , ac Leao-
tung ingentes terrarum tra-
ctus. Quid vero post hæc
actum sit , cum in charam mihi
Sinam rediero , Deo bene fa-
vente, vel cum à Sociis admo-
nitus per litteras fuero, faciam
quoque ut Europa hujus Belli
finem non diu desideret.

APPENDIX.

Postquam typis vulgata prodiit nostra de Tartarico bello Historia, cum Amstelodamo (ubi Atlantem Sinicum quanta potui celeritate ad editionem perduxii) Bruxellas reversus essem, ibi à Romanis nostris ad me transmissas postremas Sinensium litteras, quarum summo tenebar desiderio, accepi. Ex his aliqua in civitate Xanghai provincia Nanking X I V. Novembbris anno M. D C. L I. à R. P. Francisco Brancato Siculo exarata erant. Quod autem existimem Europais non ingratum mesfacturum, si privatum nuntium in publicum emitterem; narratiunculam, uti eam excerpti è litteris, subtexo.

De quo supra fol. 104. **A**D saniorem jam statum Imperium Sinense perdu-
ctum est, postquam Amavan-
gus suspe-
ctus, post
mortem pu-
nitus.

Vide su-
pra fol.
104.

Adolescentuli Regis pa-
truus ac tutor, è vivis excessit;
cujus in occupando alieno Im-
perio velocitati, in retinendo
vigilantiæ fortunam tam feli-
cem Tartari debent. Extincti
tamen existimatio longe di-
versa ab auctoritate viventis
fuit. Cum enim regnandi po-
testas omnis ejus morte ad ne-
potem recidisset, is nomine
Xunchi, ætate pæne puer, con-
filio

filio ac prudentia senex, magna omnium Ordinum approbatione imperare cœpit. Vix inaugurus erat, quando judicij sui maturitatem cum justitiæ severitate conjunxit: comprehensis enim, quæ adhuc latuerant, nefariis Patrui consiliis, occultorumque flagitorum vestigiis, eorum gravitate sic commotus est, ut demortui Amavangi sepulchrum, superbissimo ornatum cultu, effodi jusserit. Eo supplicii genere nulla apud Sinas capitalior est pœna; ab infixa enim animis religione summam veneracionem monumentis defunctorum adhibent. Extractum inde cadaver, primum fustibus, tum virgis everberatum, tandem præciso capite, extremis reorum probris objectum est. Ita splendor tumuli in pulverem abiit, & fortuna, quod vivo debuerat, mortuo solvit. In Præfectos

*Sinarum
religio erga
demortuos.*

fectos quoque Amavango amicos aut conscos suppliciis actum est: pars interempti, pars dignitatibus exuti. Hos inter varia Colai Fung fortuna fuit, qui summus Tartarici Imperii Praefectus, licet Christianæ Religionis exors, Societatis tamen nostræ amicus ac fautor in paucis, mihiique præcœbre cognitus fuit: eum, innocentia comperata, pristino loco restituit.

*Tartarii
Imperato-
ris nuptiae,
& earum
ritus.*

Interim novus Imperator Xunchius, primo adolescentiæ flore pubescens, de fastigii tanti propagatione sollicitus, cogitatas jam nuptias absolvit, & filiam Occidentalis Tartariæ Imperatoris sibi connubio adjungit: in quo Europæorum more agunt Tartari, sponsa è summi generis virginibus dœta: at Sinarum Imperatores, posthabito natalium splendore, ex maximo formosarum numero eminentem formam conju-

gem

gem legunt, & ne plebeiam quidem respunt. Postremo certe Sinarum Imperatori uxori fuit, cuius pater stramineis calceis consuendis quæstum fecit. Sic olim Assuerus ex captiva Reginam habuit: quem morem credibile est vel à Sinis ad Persas, vel ab ipsis Persis ad Sinas olim derivatum. Sed ut ad rem nostram redeam, Xunchii nuptiæ pompa tanto Imperio digna celebratæ sunt. Nec sponsæ adventanti fastus defuit Nationis ingenio congruens, immensæ militum copiæ, equorum greges, qui numerari vix poterant: opulentia siquidem Tartarica non tam luxui opportuna, quam bello. Neque supra fidem videtur innumerus eorum modus; equidem apud Sinas agens novi octoginta eorum millia ex Tartaria Occidentali uno commeatu ad Sinas dono deducta. Quæ Tatarorum

rorum potentia, ut nullis limitibus cohiberi se patitur, ita modo totam Quangtung Provinciam vi subegit: ex qua in Quangfi quoque fluminis more inundantes Tartari eamditioni suæ adjunxere. Igitur ex ea profugus cum Eunuchorum principe P'ang Achilleo Christiano Junglieus Sinarum rex, ad confinia Tungking substitit, totoque fere Regno exclusus dicitur. R. P. Simon de Cunha Lusitanus ex Fokien Provincia in suis scribit, Iunglieum Regem, continentio mnino relicto, ne in Tartarorum manus incideret, mare petivisse. De Patre nostro Andrea Xaverio Koffler, qui Regem Junglieum sequebatur, ejusq; filium, uxorem, matrem aliosque plurimos Baptismo sacro abluerat, nulla hactenus mentio; adeoque quid de eo actum sit, prorsus ignoratur.

Cete-

Ceterum dum Quangſi Pro-
vinciam C'ung Tartarorū Re-
gulus domat, Colaus, qui sum-
mam Præfecturam gerebat, &
Christianus erat, in potestate m
hostium venit. Tartarus victor
triduo ab omni in eum crudeli-
tate abstinuit, ratus egregii Phi-
losophi animum dignitatibus
præmiisque propositis ad obse-
quium flecti posse. Verum ille
fidem olim Regi suo datam vi-
tæ præferens, capite plexus est.
*Egregia
Præfecti fi-
des in Re-
gem.*
Venerationi tamē ac laudi vir-
tus fuit; corpus ab hostibus ma-
gnifico tumulo illatum: tametsi
enim ad defectionem Sinas in-
vitant Tartari, perseverantes ta-
men in fide præconio ac bene-
volentia prosequuntur. Hæc
sane etiam ipse viri præstantis
amicitiæ ac virtutibus debo,
quas & coram in eo veneratus
sum, & Sinensis Ecclesia totos
viginti annos cum admiratione
suspexit. Nomen ei Kiu Tho-
mas,

mas, memoria sempiterna dignissimum. Ex Nanking Provinciæ civitate Changcho oriundus fuit. Inter hæc ex Suchuen Provincia, quam sevitie ac plurimorum scelerum infamia notus latro Changhienchungus evastaverat, nuntiatur variis eam bellorum motibus concutis; & quamvis perdomita videatur, novas tamen res turbasque moliri.

Vide supra fol.
197.

Litteræ Postremæ. Jam & Fokien Provincia laborare cœpit. Ex ejus urbe Changcheu, jam obsessa xxx. Martii anno M. DC. LII. R. P. Petrus Canevari Genuensis scribit, Quesingum relictis navibus exscensione in continentem facta, omnem late regionem invadere, villas ac civitates non nullas occupasse, terrorem circumferre; Tartarorum Præfectos præsidiis & munitionibus se continere, certamen detrectare: brevi tamen ex Peking regia

regia sede ingentes copias ex-
pectari, iisq; facile debellatum
iri. Est autem Quesingus hic *Quesingus*
Provinciæ Fokien infestus, na-*pirata.*
tus patre Iquon, seu Chingchi-*Vide su-*
lungo , magnæ famæ pirata,*pra fol.*
132. &
quem insigni Tartarorum dolo ^{135.}
captum fuisse supra narratum
est. Ut vero pertexam ea quæ
de homine illo audivi postre-
ma nova, cum Europam petitu-
rus apud Hollandos in Batavia
nova (ad quam ab illorum epi-
batis ac militibus quibusdam
tamquam captivus deductus
fueram) aliquot mensibus ver-
sarer; & quæ ex quibusdam Si-
nis ad eamdem Insulam navi-
gio Sinico delatis anno M. DC.
LIII. Januario mense percepī;
nempe ad compescendū Que-
singum exercitus Tartarorum
numerofos advenisse. Horum
Dux calliditate utendum ra-
tus, exiguum suorum manum
adversus Quesingum præmit-
tit: mandata addit, ut pugnæ se-
se

se committant, ac simulata mox
fuga ad tutiora festinent. Ma-
xima interim Tartarorum e-
quitum vis profundam vallem
à tergo montis interjecti insi-
det. Tartari, qui pugnam in-
choaverant, mox fugam arripi-
unt; quos dum progressi Sinæ
sequuntur ac premunt, & pau-
latim ardore vincendi longius
à littore Chang fluminis, ubi
classis stabat, recedunt, repente
Tartarorum equitatus cerni-
tur; fit maxima cædes, reditu
Sinis ad naves præcluso, ex
quibus ad octoginta millia de-
leta affirmabant, Quesingo suo-
rum interitum ex navi spectan-
te; quem & dixisse ajunt, se ad-
huc semel fortunam contra
Tartaros probaturum; quam si
iterum novercam experiatur,
tum demum se capillos Tarta-
rorum more abscissurum.

*Religio
Christianæ.*

Denique ut ea quæ ad Reli-
gionem spectant, atque postre-
mis è Sina litteris accepi, dum
in

*Quesingus
vincitur.*

in Belgio Bruxellæ adhuc agerem, mense Junio M. DC. LIV. quam paucissimis attingam; referabant illæ Patres Societatis JESV. à Tartaris benigne ut antea, & melius quoque haberi; liberrimum toto Regno exercitium Christianæ Catholicæ Religionis ab iis permitti, & præter vetera templa, novis quoque condendis non tantum fieri potestatem, verum & rei non parum in eorum fabricam, quibusdam in locis, ab iis esse collatum. Adeo quæ aliis damage sunt, divina bonitas suis vertit in lucrum. Verum hæc & similia fusiis enarranda, ampliori volumini reservantur, quod ea quæ ab anno M. DC. X. (quo suum *De Christiana Expeditione apud Sinas suscepta ab Societate JESV,* librum concludit R. P. Nicolaus Trigautius) gesta sunt usque ad hæc tempora, complectetur.

F I N I S.

FACULTAS

R. P.

PROVINCIALIS.

Ego infrascriptus Societatis Iesu per Flandro-Belgicam Praepositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab admodum Reverendo P. N. Gowsino Nickel, Societatis ejusdem Praeposito Generali, do facultatem Balthasar Moreto, Architypographo Regio, typis mandandi librum De Bello Tartarico, editum à R. P. Martino Martinio, Provinciæ Sennensis Societatis nostræ ad Urbem missum Procuratore. In quorum fidem has manus mea signatas, & sigillo officii mei munitas dedi. Antwerpia M. DC. LIV.

Ioannes Baptista Engelgrave.


APPROBATIO CENSORIS.


HISTORIA hæc De Bello Tartarico, à R. P. Martino Martinio Societatis IESV, apte concinnata, & in nullo Fidei Catholicæ aut bonis moribus diffonna, luce publica dignissima est. Actum v. i. Martii, M. DC. LIV.


Guilielmus Bolognino S. T. L. Can.
& Libr. Censor Antwerpia.

J. W:











746g

12,513

